



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

L0  
10  
713



Lo 10.713




**Harvard College Library**

THE GIFT OF  
**STEPHEN SALISBURY,**  
OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

26 July, 1895.







657a

⊙

DE

AMICORUM IN OVIDII TRISTIBUS  
PERSONIS.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

**BALDUINUS LORENTZ**

SAXO-ALTENBURGENSIS.




LIPSIAE

TYPIS FRANKENSTEINI & WAGNERI

MDCCLXXXI.

L010.713




Salisbury fund.

LUDOVICO · LANGIO

SACRUM.





# INDEX.

## Inscriptimus

<i>Cottae Messalino</i> . . . . .	Tristium eleg.	IV, 4. . . . .	pag. 8
»	»	IV, 5. . . . .	» 11
<i>Sexto Pompeio</i> . . . . .	»	V, 9. . . . .	» 16
»	»	I, 5. . . . .	» 17
<i>Paullo Fabio Maximo</i> . . . . .	»	III, 6 (7 L.) . . . . .	» 28
»	»	V, 2. . . . .	» 30
<i>Curtio Attico</i> . . . . .	»	V, 4. . . . .	» 33
»	»	IV, 7. . . . .	» 35
»	»	V, 6. . . . .	» 35
»	»	V, 13. . . . .	» 36
<i>Bruto</i> . . . . .	»	III, 14 (15) . . . . .	» 42
»	»	I, 7. . . . .	» 43
<i>Caro</i> . . . . .	»	III, 5 (6) . . . . .	» 45
»	»	III, 4. . . . .	» 46
»	»	I, 9. . . . .	» 47
<i>In dubio reliquimus</i> . . . . .	»	V, 7 et V, 12. . . . .	» 49



Ex versibus illis, quos in prima epistula ex Ponto ad Brutum missa legimus:

»Rebus idem, titulo differt. Et epistula cui sit  
Non occultato nomine missa docet«

cognoscimus Ovidii ipsius sententia has epistulas eo tantum distingui a Tristium elegiis, quod in illis viros, ad quos sint scriptae, nominatim allocutus est. Quod ne in Tristibus faceret, eum artis maxime causis commotum esse<sup>1)</sup>, ut et miserum desertumque a suis et maximae principis reverentiae plenum se depingeret, minime nobis videtur esse verisimile. Immo vero, ne amicos suos in Caesaris invidiam adduceret, nomina eorum reticuit poeta. Quin enim Augustus, quinam essent Ovidii amici, haud ignoraverit, quamquam non possumus dubitare, tamen eum iure fuisse indignaturum, si ii, quibuscum familiaritate coniunctus erat, quorumque multi erant magna in republica auctoritate, cum Ovidio etiam post eius relegationem tam apertum habuissent usum, qui ne multitudinem quidem illis carminibus publicatis fugeret, facile intellegimus. Praeterea Ovidius ipse in Tristium elegiis saepissime profitetur sese neque posse nominare amicos neque illos velle id fieri, velut Trist. lib. V eleg. 9 vers. 1 seq.:

»O tua si sineres in nostris nomina poni

Carminibus, positus quam mihi saepe fores«

atque ex ep. ex Ponto III, 6 cognoscimus etiam posteriore tempore amicum quendam, cum id tutum non esse crederet, nomen suum in Ovidii carminibus appellari noluisse. Itaque poetam tum demum, cum Augusti iram imminutam esse audi-

<sup>1)</sup> Id enim Woelfelius in praefat. ad version. Tristium pag. 1835 dicit.

6 visset — quod paullo ante eius mortem factum esse epistolae ex Ponto IV, ~~l.~~ v. 15 demonstrat:

»Cooperat Augustus deceptae ignoscere culpae — nomina amicorum in carminibus Romam missis prodere ausum esse verisimile est. Cum autem Tristium elegiae et ex Ponto epistolae temporis spatio tam exiguo inter se distent, ut quintus illarum liber eodem anno — anno p. Chr. 12 — prorsus sit absolutus Romamque missus, quo prima harum carmina sunt composita<sup>1)</sup>, operae pretium videtur esse paullo accuratius ex epistulis ex Ponto conquirere, quinam fuerint viri illi, ad quos Ovidius singulas Tristium elegias miserit. Quoniam vero in his carminibus raro invenimus, quae ad illorum vitae conditionem pertineant, carminis cuiusque indolem et tanquam sonum respicere debemus, saepius autem in eo acquiescendum erit, ut carmen aliquod amico cuidam inscribendum esse satis probabile demonstremus. Sunt autem in Tristium libris septemdecim elegiae, quae ad amicos fideles Romam missae sunt, reliqua carmina aut ad lectorem<sup>2)</sup> qualemcunque aut ad uxorem aut ad Augustum aut ad Perillam aut ad invidum pertinent.

Jam igitur quos ad amicos Ovidius carmina illa scripsisse videatur, ita quaeramus, ut primum de Cotta et Sex. Pompeio, qui inter omnes intima Ovidii familiaritate usi sunt, tum de Paulo Fabio Maximo, de Attico, de Bruto, de Caro disseramus.

---

<sup>1)</sup> cf. Loersium in Prolegomenis ad edit. Trist. pag. 11. et Masson. vit. Ovid. ap. Burmann. vol. IV. pag. 105.

<sup>2)</sup> cf. Merkel. in edit. pag. 68.

## Cotta Messalinus.

Primum videamus, quidnam de huius viri vita et moribus sit traditum.

M. Valerius Maximus, cuius Tacitus in Annalibus saepius facit mentionem<sup>1)</sup>, patre M. Valerio Messala Corvino natus<sup>2)</sup>, postea ab Aurelio Cotta adoptatus<sup>3)</sup>, ne gens clarissima, ex qua mater erat orta cuiusque nulla supererat proles, funditus exstingueretur, in Aureliam Cottarum familiam transiit. Quam ad rem Ovidius ipse spectat in epist. ex Ponto III, 2 ad Cottam missa, ubi vers. 107 seq. haec legimus:

»Adiectique probent genetiva ad nomina Cottae, ..

Si tu non esses, interitura domus.«

Quo facto M. Aurelius Cotta Maximus appellatus est. Praeterea fratre suo M. Valerio Corvino Messalino mortuo, eum cognomen sibi assumpsisse Messalini, Velleius Paterculus in libr. II cap. 112 narrat<sup>4)</sup>. De magistratibus autem huius viri num quid nobis traditum sit, viri docti dubitant<sup>5)</sup>, cum

<sup>1)</sup> in Ann. II, 32. IV, 20. V, 3. VI, 5. 6. 7. XII, 32.

<sup>2)</sup> de quo v. Masson. l. l. pag. 76 seq. et Pauly. encyclop. s. v.

<sup>3)</sup> ut tradit scholium ad Persii satir. II, 72:

»Quin damus id superis, de magna quod dare lance  
Non possit magni Messalae lippa propago«.

ubi adnotat scholiasta: »Per Messalae autem propaginem eos vult ostendere, qui non pura conscientia diis sacrificant. Hic autem Cottam Messalinum dicit, qui tam vitiosos oculos in senectute habuit, ut palpebrae eius in exteriorem partem verterentur. Fuit autem et multis deditus vitiis. Hic ab Aurelio Cotta adoptatus M. Aurelius Maximus vocabatur, originem trahens a Valerio Messala, qui septies fuit consul etc.

<sup>4)</sup> cf. Masson. l. l. pag. 106. Nipperdey. ad Tacit. Ann. II, 32. Haakh. in Pauly. encyclop. vol. VI sect. 2 pag. 2356. Friedlaender: Recensio amicorum et comitum Caesarum usque ad Severi tempora. Acad. Alb. Regim. 1873. IV pag. 2 = Sittengeschichte vol. I. pag. 200.

<sup>5)</sup> cf. Nipperdey. l. c. Haakh. l. c. Friedlaender l. c. Matthias Koch: »Prosopographiae Ovidianae elementa.« Diss. Vratislav. MDCCCLXV pag. 7.


consulem anni p. Chr. 20<sup>1)</sup> nepotem Messalae Corvini fuisse suspicentur. Quod videntur conclusisse ex Tacit. Ann. XIII, 34, ubi et M. Valerium Messalinum consulem anni p. Chr. 58 pronepotem Messalae Corvini fuisse traditur et Aurelius Cotta quidam commemoratur. Hunc tamen ipsum quoque oratoris illius pronepotem fuisse ex illo loco colligere non possumus, nam per luxum avitas opes dissipasse dicitur. Cottam autem Messalinum filium Messalae Corvini multo minorem natu quam M. Valerium Messalinum consulem anni a. Chr. 3 fuisse constat. Ex epistula enim ex Ponto II, 3, quam Cottae Maximo inscribendam esse paullo infra demonstrabimus, versu 70 seqq. Ovidium viginti fere aetatis annis Cottam superasse intellegimus. Quae cum ita sint, si hunc virum circa annum a. Chr. 23 natum esse conicimus, eum anno p. Chr. tricesimum sextum et a. 20 quadragesimum annum — aetatem consulatus accipiendi lege constitutam — egisse apparet<sup>2)</sup>.

De posteriore autem vitae eius parte comperimus a Tacito, eum maxima in gratia Tiberii Caesaris fuisse et anno p. Chr. 32 accusatum ab hoc imperatore per epistolam defensum esse repetito inter se atque Cottam amicitiae principio crebrisque eius officii commemoratis<sup>3)</sup>.

Mores huius viri si respicimus, ut in Pauly. encyclop. I. I. fit neque ex illo Persii scholio supra laudato neque ex loco

<sup>1)</sup> Tacit. III, 2, 17. Henzen Inscript. 7419 dß. bullet. arch. 1869 pag. 122. C. J. L. I. pag. 475. Dio ind. lib. LVII.

<sup>2)</sup> Habemus igitur hanc genealogiam:



quodam Plinii<sup>1)</sup> recte concludemus eum heluonem fuisse, nam hic cibus tantum ab illo compositus commemoratur. Tacitus autem Cottam virum haud minus claris maioribus quam Lepidum, sed animo diversum (Ann. II, 32), vel saevissimae cuiusque sententiae auctorem eoque inveterata invidia (Ann. VI, 5) et paullo infra hominem nobilem quidem, sed egentem ob luxum, per flagitia infamem (Ann. VI, 7) appellat et, quod Tiberium humiliter abiecteque adulatus insontesque crudelissime persecutus sit, vehementer eum vituperat<sup>2)</sup>. Qua in re sive scriptor ille non sine ira et studio iudicavit, praesertim cum Cottae partes non sequeretur, sive vera tradidit<sup>3)</sup>, tamen non est dubitandum, quin revera Ovidius a Cotta multa et magna acceperit beneficia, cum illum suos donis largissime adiuvisse et hominem liberalem se praebuisse aliis quoque exemplis confirmetur. Velut Juvenalis in satir. I, 5 v. 109 dicit:

»Quae Piso bonus, quae Cotta solebat

Largiri«

idemque ostendit inscriptio quaedam in sepulcro incisa Aureli, Cottae Maximi liberti, Zosimi, in qua distichis largitas domini laudatur<sup>4)</sup>.

Priusquam autem ea, quae ex Ovidio ipso ad Cottae imaginem adumbrandam eiusque mores cognoscendos colligere possumus, exponamus, non alienum nobis videtur esse breviter demonstrare, quaenam epistulae ex Ponto ad Cottam Messalinum sint scriptae. Interdum enim poeta in illis nulla nisi allocutione »Maxime« usus est, ut saepius dubitemus, utrum epistola Cottae Messalino an Paulo Fabio Maximo sit tribuenda. Codicum autem inscriptionibus nulla habenda est fides, cum plerumque nihil praebeant nisi vel »ad Maximum« vel Maximo« vel »Maximo amico suo« et titulos epistolarum illa-

---

<sup>1)</sup> Plinius H. N. X, 22 § 57 ed. Sillig: »Sed quod constat, Messalinus Cotta, Messalae oratoris filius, palmas pedum ex his torrere atque patinis cum gallinaceorum cristis condire reperit; tribuetur enim a me culinis cuiusque palma cum fide.

<sup>2)</sup> Ann. II, 32. IV, 20. V, 3.

<sup>3)</sup> ut recte in Annal. instit. arch. XXXVII pag. 10. dicitur.

<sup>4)</sup> Legimus hunc titulum in ann. inst. arch. l. c. p. 6.



rum non a poeta ipso sed a scholiastis profectos esse verisimillimum sit!).

Certum est epist. ex Ponto I, 2 et III, 3 Paulo Fabio Maximo esse dandas, nam et illius vers. 3 seq:

»Qui nasci ut posses, quamvis cecidere trecenti,  
Non omnes Fabios abstulit una dies«

et huius vers. 2:

»O sidus Fabiae, Maxime, gentis ades«

Fabiorum gentis fit mentio. Eidem vero amico libri III epistolam 8 tribuendam esse vix quisquam negabit. Nam versus 7:

»Purpura saepe tuos fulgens praetexit amictus«

multo aptius de Fabio Maximo viro multis honoribus perfuncto dicitur, quam de Maximo Cotta.

Ad Maximum autem Cottam epistulas II, 8 et III, 2 scriptas esse, ex allocutionibus »Maxime Cotta« (II, 8, 2) et »Cotta« (III, 2, 1) satis apparet. Eidem autem tribuimus II, 3. Nam quod Kochius in dissertationis suae pag. 7 et Weidnerus ad Juvenalis satir. III, 7, 95 aliique epistul. II, 3 Fabio Maximo inscribendam esse censent, minime probare possumus propter vers. 75 seqq:

»Me tuus ille pater, Latiae facundia linguae,  
Quae non inferior nobilitate fuit,  
Primus ut auderem committere carmina famae  
Impulit: Ingenii dux fuit ille mei.«

Nam ex aliis epistulis ad Cottam scriptis, ut paullo postea amplius exponemus, cognoscimus hoc loco nomen nisi M. Messalam Corvinum, Cottae patrem, intellegi posse.

Quin autem epistul. I, 5 eidem Cottae tribuenda sit, non erit dubium, si huius carminis vers. 57 et 58:

»Gloria vos acuat, vos, ut recitata probentur  
Carmina, Pieriis invigilate choris«

comparaverimus cum ep. ex Ponto IV, 16 v. 41 seq:

»Te tamen in turba« — nempе poetarum — »non ausim Cotta silere,  
Pieridum lumen praesidiumque fori«

<sup>1)</sup> cf. Korn. praef. ad edit. epist. ex Ponto, pag. XXXII.

et verba illa respexerimus in epistol. III, 5 quae in codd. »Maximo Cottae« inscripta est vers. 37: »O iuuenis studiorum plene meorum.« Huc accedit, quod totius epistolae (I, 5) color nullum alium nisi Cottam indicat. Itaque neque hanc epistolam Nipperdeium ad Tacit. Ann. I, 5 secuti Paulo Fabio Maximo attribuimus, neque viro illi doctissimo assentimur, quod epistolam I, 9 ad eundem Fabium missam verisimile esse arbitratur. Quo in carmine nihil nobis demonstrare potest, ad quem scriptum sit, nisi versus 29 seq.:

»Cumque suis fratris vires adhibebit et omnem  
Quo leuius doleas, experietur opem.«

Quamquam autem et Cotta et Fabius Maximus habuerunt fratrem, tamen de Fabii fratre, Q. Fabio Maximo Africano, qui anno u. c. 744 consul fuit<sup>1)</sup>, hoc loco non posse cogitari nobis est persuasum. Hunc enim nullum amicitiae et usus vinculum videtur coniunxisse cum Ouidio, cum hic in epistolis ex Ponto ad Fabium missis eius nusquam faciat mentionem<sup>2)</sup> nullamque ad eum miserit epistolam; fortasse ille iam tum e vita erat egressus. Quae cum ita sint Ovidius M. Valerium Messalinum voce »fratris« significat, quocum Ovidio fuisse usum quemque sibi auxilium laturum esse poetam sperasse non uno loco demonstratur.

Restat epistula ex Ponto III, 5, cuius versu 37 iam supra usi sumus. Quae quin ad eundem Cottam<sup>3)</sup> scripta sit, minime dubitari potest. Quod enim Kochius l. l. pag. 20, obstare vocem »iuuenis« in versu 7 et 37, ne hoc carmen Cottae Maximo inscribamus ideoque in hac epistula de filio huius viri cogitandum esse censet, vel eo refutatur, quod, ut supra exposuimus, non nepos sed filius ipse Messalae Corvini consul anno p. Chr. 20 fuit. Virum autem triginta sex annos natum optime posse iuuenem appellari constat<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> Sueton vit. Claudii cap. II.

<sup>2)</sup> Kochius l. l. pag. 4 adnot. dicit eum commemorari ab Ouidio epist. ex Ponto I, 10, 20 et II, 3, 79 seq. Quorum locorum ille nihil de fratre Maximi continet — voluit fortasse laudare I, 9, 29, de quo loco agimus — hic autem in epistola ad Cottam, non ad Fabium missa legitur.

<sup>3)</sup> cf. codic. inscriptiones et vers. 6.

<sup>4)</sup> cf. Varro. ap. Censorin. de die natali XIV.

Ex his autem omnibus epistulis videmus, quam arta et firma amicitia Ovidius cum hoc amico eiusque familia a primis aetatis temporibus coniunctus fuerit. Ac ne tum quidem, cum poeta rebus adversis afflictus esset, eum amicum deseruisse sed fidelitatem maximam praebuisse et miti animo nobilibusque moribus ornatum se praestitisse Ovidius profitetur.

Quid? maioribus num laudibus extollere poterat amicum, quam cum scripsit ep. ex Ponto II, 3 v. 1 seq:

»Maxime, qui claris nomen virtutibus aequas,  
Nec sinis ingenium nobilitate premi«

vel ep. ex Ponto III, 2 v. 103 seq:

»Adde, quod est animus semper tibi mitis et altae  
Indicium mores nobilitatis habent«

et paullo infra in eiusdem carminis vers. 109 seq. Cottam ita alloquitur:

»Digne vir hac serie, lapso succurrere amico  
Conveniens istis moribus esse puta«?

Jam vero ad quaestionem illam veniamus et videamus, quaenam Tristium elegiae et quibus de causis Maximo Cottae tribuendae sint.

Ac primum quidem elegiam 4 libri IV alteri Messalinorum inscribendam esse vix quisquam negabit.

Eandem enim facundiam, quam amicum habere Ovidius vers. 5 nostri carminis his verbis dicit:

»Cuius in ingenio est patriae facundia linguae,  
Qua prior in Latio non fuit ulla foro«

Messalinum et Cottam a patre suo, oratore illo clarissimo, qui ab Ovidio ipso »Latiae facundia linguae« (ep. ex P. II, 3, 75) appellatur, quasi hereditatem accepisse saepius in epistulis ex Ponto commemoratur. Velut in epistula ad Messalinum scripta (ex Ponto II, 2 v. 49 seq. ed. Korn) hoc de fratribus illis praedicat poeta noster:

»Vivit enim in vobis facundi lingua parentis,  
Et res heredem repperit illa suum.«

et Messalinum ipsum versibus antecedentibus ita est allocutus:

»Nunc tibi et eloquii nitor ille domesticus adsit.

Quo poteras trepidis utilis esse reis.«

Atque maiorem etiam laudem Cottae eloquentiae tribuit in epist. III, 5, cum dicit vers. 7 seq.:

»Legimus, o iuvenis patrii non degener oris,

Dicta tibi pleno verba diserta foro«

et de orationibus eius hoc facit iudicium vers. 14 seqq.:

»Viribus illa suis, non novitate placent.

Felices, quibus haec ipso cognoscere in actu,

Et tam facundo contigit ore frui!«

Eundem autem Cottam in epist. ex Ponto IV, 16 »praesidium fori« nominari iam supra vidimus.

Huc accedit, quod ea, quae Ovidius in nostra elegia de amici patre et de usu, quem cum eius familia habuerit, dicit, ad nullos aptius quadrant, quam ad Messalinos. Ex vers. enim 27 seqq.:

»Nam tuus est primis cultus mihi semper ab annis

— Hoc certe noli dissimulare — pater,

Ingeniumque meum — potes hoc meminisse — probabat.

Plus etiam, quam me iudice dignus eram«

satis apparet amici patrem et re et consilio Ovidii ingenium adiuvisse eumque esse adhortatum, ut carmina componeret et publicaret. Id autem M. Valerium Messalam fecisse ex nonnullis epistulis ex Ponto discimus. Legimus enim I, 7 v. 27 seq.:

»Nec tuus est genitor nos inficiatus amicos,

Hortator studii causaque faxque mei«

vel ep. II, 2, 95 ed K.: »Pater ille tuus primo mihi cultus ab aevo« eandemque sententiam invenimus in epist. II, 3 v. 75 seqq. Versus autem nostri carminis 33 et 34, quibus se a prima vitae aetate in familia amici esse versatum Ovidius his verbis profitetur:

»Non igitur tibi nunc, quod me domus ista recepit,

Sed prius auctori sunt data verba tuo«

de Messalinis dici, multis locis in epistolis ad illos scriptis confirmatur. Fuit enim Ovidius Messalinorum domus »primis venerator ab annis« (ex Ponto II, 2, 1), cuius sub lare semper erat (ex Pont. I, 7, 58), fuit inter cultores familiares Messalini (ex Pont. I, 7, 6. 15 seq. II, 2, 99 seq.) et quondam

non ultimus inter Cottae amicos (I, 5, 1), atque minime sunt silentio praetermittenda verba illa, quae in epistul. ex Ponto II, 3 v. 73 seq. legimus:

»Quod cum vestra domus teneris mihi semper ab annis  
Culta sit, esse vetus me tibi cogit onus«

et quae paullo antea poeta dicit (v. 69 seqq.):

»Movit amicitiae tum te constantia longae,  
Ante tuos ortus, quae mihi coepta fuit.  
Et quod eras aliis factus, mihi natus amicus,  
Quodque tibi in cunis oscula prima dedi.«

Ex his omnibus, quae attulimus, satis videtur apparere Tristium eleg. IV, 4 ad Messalinum aut Cottam esse scriptam. Nunc videamus, utri sit danda. Kochius l. l. pag. 14 et Haakhuis in Pauly encyclop. l. l. eam Messalino inscribendam esse putant. Neque tamen recte, quantum nobis videtur. Quas enim illi viri docti afferunt causas<sup>1)</sup>, minime nos cogunt, ut de eo potissimum cogitemus nam eodem iure inde ad Cottam scriptam esse epistulam colligere possumus. Immo quin Ovidium ad hunc nostram elegiam scripsisse putemus, facere non possumus, si in carminibus illis videmus poetam multo maiore amore Cottam esse amplexum, quam Messalinum. Quod non solum ex eo cognoscimus, quod alter alteri »pignora studii sui« misit, sed noster etiam saepius id in carminibus profitetur. Nam ut omittamus Cottam ep. ex Ponto II, 3 v. 3 appellari: »Culte mihi . . . . supremum vitae tempus adusque meae«, in numero fidelium amicorum eum principem et fidei et constantiae tenere locum ep. ex Ponto II, 3 v. 25—34 praedicatur et in eodem carmine v. 81 seq. aperte dicitur:

»Te tamen ante omnis ita sum complexus, ut unus  
Quolibet in casu gratia nostra fores.«

Praeterea autem illa morum nobilitas, quae initio nostrae elegiae laudatur:

---

<sup>1)</sup> Ex comparatis enim Tristium eleg. IV, 4. v. 27 sqq. cum ep. ex Ponto I. 7, 27 seq. et ex Pont. II, 2, 99 et Trist. IV, 4. 5 seq. cum ep. ex P. II, 2, 51 locis id concludunt.

»O qui nominibus cum sis generosus avorum,  
Exsuperas morum nobilitate genus«

optime quadrat ad eam, qua Cottam ornatum fuisse saepius in epistulis ad eum scriptis legi iam supra vidimus, quaeque nusquam ab Ovidio tam ample et aperte in Messalino celebratur. Quae quamquam iam satis videntur demonstrare multo aptius in nostra elegia de Cotta cogitari, ne Messalino hoc carmen inscribamus, impediri videmur prima epistula ex Ponto ad hunc missa (I, 7). In hac enim poeta quodammodo se excusat, quod ad Messalinum carmen miserit exponitque, quas ob causas illius quoque fidem implorare audeat. Itaque illam omnino primam epistulam, ut ita dicam, publicam ad eum scriptam esse totius carminis sonus et sententia indicare videntur<sup>1)</sup>.

Vix igitur potest dubitari, quin Trist. eleg. IV, 4 ad Cottam Messalinum missa sit. Nunc videamus num alia praeterea carmina Tristium ad hunc amicum scripta esse verisimile sit.

Perscrutantibus nobis illas elegias una occurrit, quam nulli potius quam Cottae tribuamus, elegia 5 eiusdem libri.

Quod enim Kochius l. l. pag. 27 hoc carmen Sex. Pompeio inscribendum censet — id autem ex vers. 7 seq.:

»Cuius eram censu non me sensurus egentem,  
Si Caesar patrias eripuisset opes«

concludit — minime probamus. Nam haec sententia vel eo refutatur, quod vers. 31 seq. nostrae elegiae filium amici poeta commemorat, quod ad Sex. Pompeium non quadrare paullo infra (pag. 13) demonstrabimus. Immo iure hoc carmen Cottae tribuamus. Illi enim versus, quibus Kochius ad firmandam suam sententiam usus est, optime conveniunt cum huius viri liberalitate et munificentia, quam saepius laudari vidimus. Huc accedit, quod versuum 1—8 sententiam amicum semper Ovidio tulisse auxilium imprimis in epist. ex Ponto III, 2 ad Cottam missa expositam esse invenimus velut v. 3 seq.:

»Namque meis sospes multum cruciatibus aufers,  
Utque sit in nobis pars bona salva facis«

vel vers. 25 seq.:

<sup>1)</sup> cf. exempli causa v. 33 seq.

»Pars estis pauci melior, qui rebus in artis  
Ferre mihi nullam turpe putastis opem«  
utque in illius Tristium carminis versu 2 hunc amicum »uni-  
cam aram« appellat, sic in huius epistulae vers. 6: »ancoram solam.«

Et ad quemnam aptius pertineant ultimi nostrae elegiae  
versus, quam ad Cottam? Legimus enim illic:

»Diligat et semper, socius te sanguinis illo  
Quo pius affectu Castora frater amat.  
Sic iuvenis similisque tibi sit natus et illum  
Moribus agnoscat qui libet esse tuum.«

Facere non possumus, quin de Cottae fratre Valerio Messa-  
lino cogitemus, nam in omnibus paene epistulis ad Cottam  
scriptis huius fratris poeta facit mentionem velut I, 9, 29  
eodemque modo in epistulis ad Messalinum Cottae. Dicit  
enim I, 7, v. 31 seq.:

»Adde quod est frater tanto tibi iunctus amore,  
Quantus in Atridis Tyndaridisque fuit«  
vel eiusdem carminis vers. 59 seq.:

»Quaeque tua est pietas, ut te non excolat ipsum  
Jus aliquod tecum fratris amicus habet.«

Cottam autem filium habuisse, quem postea Nero annua  
pecunia sublevaret, Tacitus in Ann. XIII, 34 tradidit.

Quibus de causis haud ineptum nobis videtur esse hanc  
quoque elegiam Maximo Cottae inscribi.

Quod enim duo carmina insequentia ad eundem virum  
scripta esse videntur, non repugnat nostrae sententiae, id enim  
saepius in Ovidii libris invenitur velut ex Ponto IV, 4 et 5.  
Praeter illas autem, de quibus diximus, Tristium elegias vix  
ulla alia huic amico probabiliter tribuetur.

Transeamus igitur, ut erat propositum, ad alterum Ovidio  
intimum, Sex. Pompeium.

## Sextus Pompeius.

Hic vir ortus, ut Seneca tradit<sup>1)</sup>, e Pompei Magni familia, cuius stirpis ultimus erat prognatus<sup>2)</sup>, Sex. Pompeium consulem anni u. c. 719 habuit patrem<sup>3)</sup>. Huius autem avus erat Sex. Pompeius Sex. F. Cn. N., qui patruus Cn. Pompei erat, et, ut ait Cicero in Bruti cap. 47 parag. 175, praestantissimum ingenium contulerat ad summam iuris civilis et ad perfectam geometriae et rerum stoicarum scientiam<sup>4)</sup>. Nostrum autem Sex. Pompeium, Ovidii amicum, eodem anno, quo Caesar Augustus diem obiit supremum (anno p. Chr. 14) consulem fuisse cum Sex. Apuleio et primum cum collega suo, ut tradit Tacitus<sup>5)</sup>, in verba Tiberii Caesaris iuravisse, permultis veterum scriptorum locis et inscriptionibus confirmatur<sup>6)</sup>. Inter illos autem Dio I. infra l. et Pompeium et Apuleium cum Augusto fuisse propinquitate coniunctos dicit: *ἐκείνοι (sc. οἱ ὑπάτοι) τε γὰρ συγγενεῖς πρὸ τοῦ Αὐγούστου ὄντες ἤρχον κτλ.* Quo factum est, ut totum per annum consulatum gererent<sup>7)</sup>. Anno p. Chr. 20 Sex. Pompeius Romae fuit recusavitque eodem anno, ne Cn. Pisonem, qui accusatus erat, quod Germanicum veneno necavisset, defenderet<sup>8)</sup>. Quanta autem auctoritate et honore apud Tiberium quoque floruerit, ex eo intellegi licet,

<sup>1)</sup> de beneficiis IV, 30: «Ciceronis filium quae res consulem fecit nisi pater? Cinnam nuper quae res ad consulatum recepit ex hostium castris? quae Sextum Pompeium aliosque Pompeios nisi unius viri magnitudo tanta quondam, ut satis alte omnes suos etiam ruina eius attolleret?»

<sup>2)</sup> Annal. instit. arch. vol. XX pag. 241 seq. — Borghesi Oeuvres V, pag. 130 seqq. cf. Nipperd. ad Tacit. Ann. III, 72.

<sup>3)</sup> Dio XLIX, 18, 33. C. J. L. I, p. 544.

<sup>4)</sup> cf. Drumann, Geschichte Roms. vol. IV, pag. 317.

<sup>5)</sup> Ann. I, 7.

<sup>6)</sup> Dio LVI, 29. Velleius Patere. II, 123, 3. Suet Octav. 100. Tacit. l. c. Cassiod. et Fast. Sic. a. 766. C. J. L. III. n. 717. pag. 132: Sex. Pompeio et Sex. Apuleio cos. C. J. L. III, pag. 776 in monum. Ancyr. 2 lin. 9. G. Wilmanns: Exempla inscriptionum latinarum n. 2599 = vol. I. pag. 160.

<sup>7)</sup> Henzen 6442. C. J. L. vol. I. n. XIV, pag. 475. III. 1. n. 717.

<sup>8)</sup> Tacit. Ann. III, 11. Borghesi Oeuvres V, 135.



quod ab illo anno p. Chr. 27 vel paullo postea — neque tamen post annum 30 — proconsul Asiae factus est<sup>1)</sup>. Quam in provinciam eum secutus est Valerius Maximus<sup>2)</sup> qui eum non minoribus laudibus extollit, quam Ovidius<sup>3)</sup>. Appellat enim Sex. Pompeium non solum virum ut omnibus virtutibus, ita humanitatis quoque laudibus instructissimum, cuius ex ore facundissimus sermo quasi e beato quodam eloquentiae fonte manet, sed illum etiam optime de se esse meritum profitetur. Sese enim promptissimam benevolentiam illius viri expertum esse; qui instar sibi sit Alexandri, cum omnium commodorum incrementa ultro obtulerit et studia ipsius ductu et auspiciis suis lucidiora et alacriora reddiderit<sup>4)</sup>. Num forte Achaiae quoque proconsul fuerit, ut Dittenbergius in C. J. Attic. vol. III. sect. 1 n. 592 hoc titulo nisus suspicatur: Ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρσίου πάγου καὶ ὁ δῆμος Σέξτον Πομπήιον ἀνδύπατον ἀρετῆς ἔνεκεν, pro certo dici non potest, quod alia huius rei testimonia prorsus desunt. Praeterea Borghesi<sup>5)</sup> conicit Sex. Pompeium eum fuisse, de quo in actis fratrum Arvalium<sup>6)</sup> ad annum u. c. 767 traditur: »in locum Cn. (Pompei Q. f.) . . . . . Pompeium augurem et in locum imp(eratoris) (Caesaris) Augusti . . . . .«

Ovidii autem epistulas, quas ex Ponto ad hunc scripsit amicum (IV, 1. 4. 5. 15), si respicimus, satis intellegimus Sex. Pompeium poetam, quantum potuerit, potestate et opibus suis adiuvisse eiusque vitam servasse. Quod non solum ex epist. ex Ponto IV, 5 comperimus, ubi v. 37 seq. legimus:

---

<sup>1)</sup> cf. Waddington: *Fastes des provinces asiatiques de l'empire Romain depuis leur origine etc.* I, pag. 118.

<sup>2)</sup> cf. Valer. Maximus II, 6. 8 init.: »Quam consuetudinem — etiam in insula Ceo servari animadverti, quo tempore. Asiam cum Sex. Pompeio petens, Julida oppidum intravi.«

<sup>3)</sup> l. c. et IV, 7 ext. 2.

<sup>4)</sup> de Sex. Pompeio cf. Nipperd. ad Tacit. Ann. III, 11. Lipsium ad eundem Taciti locum. Pauly. encyclop. s. v. Drumann. I. l. vol. IV, pag. 318.

<sup>5)</sup> Oeuvres V, 135.

<sup>6)</sup> Henzen pag. XXX.

»Addita praeterea vitae quoque multa tuendae  
Munera, ne proprias attenuaret opes«

vel v. 33 seqq.:

»Te sibi, cum fugeret, memori solet ore referre  
Barbariae tutas exhibuisse vias:  
Sanguine Bistonium quod non tepfecerit ensem,  
Effectum cura pectoris esse tui«

sed etiam in epist. IV, 15 v. 3 seqq. Ovidius profitetur:

»Caesaribus vitam, Sexto debere satutem  
Me sciat. A superis hic mihi primus erit.  
Tempora nam miserae complectar ut omnia vitae  
A meritis eius pars mihi nulla vacat.«

Quomodo autem Sex. Pompeius poetam in Thracia servare potuerit, ignoramus. Aut a Caesare eum precibus et auctoritate impetrasse, ut Ovidio per barbararum gentium fines proficiscenti praesidium daretur, quod minus verisimile est, cum Ovidius relegatus fuerit, aut eum tum illic fortasse legatum fuisse Caesaris statuendum est. Praeterea autem ex epist. ex Ponto IV, 5 v. 25 seq. Sex Pompeium familiarissimum usum habuisse cum Caesare Germanico cognoscimus.

Neque Pompei facundia a nostro praetermittitur silentio, cum epistul. IV vers. 37 seq. his eam extollit laudibus

»Hos ubi facundo tua vox hilaraverit ore,  
Utque solet, tulerit prospera verba dies.«

Permagna autem permultaque bona hunc virum possedissee non solum Romae, sed etiam in Sicilia, Macedonia, Campania, quae vel a patre suo hereditate accepisset vel ipse sibi acquisivisset, in ep. 15 vers. 15 seqq. demonstrant<sup>1)</sup>.

---

<sup>1)</sup> In Senecae de tranquillitate animi libro cap. XI, 10 legimus: »Locuscuples es: numquid divitior Pompeio? cui cum Gaius, vetus cognatus, hospes novus, aperuisset Caesaris domum, ut suam cluderet, defuit panis, aqua. Cum tot flumina possideret in suo orientia, in suo cadentia, mendicavit stillicidia. Fama et siti perit in palatio cognati, dum illi heres publicum funus esurienti locat«. Cum autem apud Tacitum in annal. III, 72 tradatur: »At Pompei theatrum igne fortuito exhaustum, Caesar exstructurum pollicitus est. quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen

Haec nobis sunt tradita de Sex. Pompei vita et moribus.  
Jam videamus, quaenam Tristium elegiae huic Ovidii amico  
apte tribui videantur.

Ac primum quidem dubium vix est, quin ei Tristium eleg.  
V, 9 sit inscribenda<sup>1)</sup>.

Nam hoc quoque in carmine poeta vitam, quam Caesar  
sibi dederit, amici opera servatam esse atque etiam tum ser-  
vari profitetur v. 11 seqq.:

»Caesaris est primum munus, quod ducimus auras:

Gratia post magnos est tibi habenda deos.

Ille dedit vitam. Tu, quam dedit ille, tueris,

Et facis accepto munere posse frui.«

Quid? isti versus nonne optime conveniunt cum iis,  
quae Ovidius de Pompei erga se meritis in epistulis ex Ponto  
missis dicit? Nonne prorsus cogimur, ut de hoc viro cogi-  
temus, si illius loci meminimus supra laudati:

»Vivit adhuc vitamque tibi debere fatetur,

Quam prius a miti Caesare munus habet.«

vel in ep. ex Ponto IV, 1 v. 1 seq.:

»Accipe, Pompei, deductum carmen ab illo,

Debitor est vitae qui tibi, Sexte, suae«

aliorumque locorum? Praeterea autem nostra elegia eandem

nomine Pompei, Muretus illo Senecae loco correxit e »Pompeio«, »Ptolemaeo«  
intellexitque Jubae filium, Catilinae consobrinum; quam coniecturam  
Nipperdey ad Tacit. A. III, 11 omnesque editores recentiores probant. Cui  
sententiae non assentitur Kochius l. l. pag. 25, qui Taciti verba corrupta  
esse censet et Senecae Ovidiique verbis commotus pro »restaurando suffi-  
ceret« vel »restaurandum susciperet« vel »restaurando succederet« mavult  
scribi. Neque tamen recte. Nam illo Senecae loco vir commemoratur,  
quo nemo tum fuit divitior. Pompeium autem divitiis ante omnes aequales  
excelluisse non possumus ex Ovidii verbis concludere. Neque enim dubi-  
tandum est, quin multi Romanorum nobilium in provinciis bona possederint.  
Et cur non sit credibile ne tanta quidem bona ad theatrum restaurandum  
suffecisse? Recte Waddingtonius quoque l. l. de hac scriptura dicit: »Il  
est certain en effet, que les expressions de l'auteur s'appliquent bien mieux  
au royaume de Maurétanie, qu'aux possessions territoriales d'un grand  
Seigneur Romain, quelque vastes qu'elles fussent.«

<sup>1)</sup> cf. Koch. pag. 27.

spirat magnam gratiam, quam nusquam nisi in epistulis ad Pompeium tam impensis laudibus cumulatam profitetur Ovidius. Vix enim retineri potest, quin merita amici toti urbi nuntiet et nomen eius in carminibus suis proferat, ut et aequales et posteri mitem amici animum et pietatem magnam cognoscant<sup>1)</sup>. Quanto autem affectus est gaudio poeta noster, cum tandem nomina Pompei in epistula prima ad illum scripta ponere liceat! Saepissime se sibi visum esse impium declarat, quod nondum id fecerit profiteturque v. 11 seq.:

»O quotiens alii cum vellem scribere, nomen  
Rettulit in ceras inscia dextra tuum«.

Neque unquam se amici obliturum esse, sed semper viva memoria repetiturum illius munera omnesque audituros Ovidium esse Pompei amicissimum (ep. ex Pont. IV, 15, 37 seqq. IV, 5, 39 seqq.). Et quonam modo fieri potuit, quin is amicus summis ornaretur laudibus, cuius gratia non solum antea nunquam pigra fuisset, cuius arca nunquam Ovidio »munificas opes negasset« (ex Ponto IV, 1 v. 23 seq.), sed qui etiam de amico relegato tam bene mereretur, ut de eo posset dici epist. I v. 25 seq.:

»Nunc quoque nil subitis clementia territa fatis  
Auxilium vitae fertque feretque meae«

vel paullo infra v. 35 seq.:

»Sic ego sum rerum non ultima, Sexte, tuarum  
Tutelaeque feror munus opusque tuae.«

Aliis quidem amicis gratias agit, quod tum, cum rebus adversis profligatus esset, quamvis pauci se non deseruerint et misericordiae dolorisque pleni calamitatem amici gravissime tulerint, hic autem non verbis tantum se praestitit, sed etiam re fidelem piumque sodalem.

Eandem autem pietatem maximamque Ovidii erga amicum gratiam Tristium quoque elegia I, 5 spirat<sup>2)</sup>, quam simillimam esse sono et indole illi, de qua modo disputavimus, iam Loersius<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Trist. V, 9, 1—10.

<sup>2)</sup> cf. Koch. pag., 27 adnot.

<sup>3)</sup> in edit. Tristium pag. 496.

vidit, ut non dubitemus, quin hoc quoque carmen Sex. Pompeio inscribendum sit. Nam ut omittamus optime ad illam intimam familiaritatem Pompeique auctoritatem quadrare, quod ad hunc primam Tristium elegiam — nempe inter eas, quae omnino ad amicos scriptae sunt — miserit, totius carminis sensus tenerrimi Sex. Pompeium videntur indicare. De quo enim aptius dicere potuit poeta initio carminis:

»O mihi post ullos nunquam memorande sodales,

O, cui praecipue sors mea visa sua est,«

nam cui amicorum, Cotta Messalino fortasse excepto, Ovidii sors ita fuit curae, quam Pompeio? Ne autem de illo amico cogitemus, cuius sane ab adloquiis animam suam moribundam revixisse Ovidius in eleg. Trist. IV, 5, quam Cottae inscribendam esse supra demonstravimus, dicit, eo videmur impediri, quod Ovidium in prima elegia ad illum scripta patris et fratris eius illiusque usus, quem cum Messalae familia habuerit, mentionem facturum fuisse nobis est persuasum. Praeterea illa verba in eleg. IV, 5 nihil significant, nisi poetae animum Cotta adhortante confirmatum esse, in nostro autem carmine vers. 5 seq.:

»Qui mihi consilium vivendi mite dedisti,

Cum foret in misero pectore mortis amor,«

optime conveniunt cum verbis, quae in eleg. Tristium V, 9 v. 19 legimus:

»Seminecem Stygia revocasti solus ab unda,«

unde apparet Sex. Pompeium intercessisse, ne poeta manus sibi inferret. Id autem de unoquoque amico dicere potuisse poetam vix quisquam putabit. Quae cum ita sint, hoc quoque in carmine Sex. Pompeium intellegendum esse censemus.

Sed de hoc Ovidii amico iam satis dictum est; veniamus ad illum, qui sine dubio praeter ceteros summa auctoritate et gratia apud Augustum floruit, ad Paullum Fabium Maximum.

## Paullus Fabius Maximus.

Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus<sup>1)</sup>, filius Q. Fabii Maximi, qui Q. Fabio Allobrogico natus e stirpe Q. Fabii Aemiliani ortus erat, anno u. c. 695 cum C. Caninio Gallo<sup>2)</sup> C. Antonium, qui e Macedonia erat reversus, repetundarum accusavit. Quem virum Cicero<sup>3)</sup> summis ornat laudibus, cum dicit: »Dices familiaritatem tibi fuisse cum Q. Fabio Maximo. Praeclara defensio facinoris tui. Nam Maximi quidem summa laus est, sumptis inimicitiis, suscepta causa, quaesitore consilioque delecto commodiorem inimico suo condicionem reiectionis dare noluisse. Nihil Maximus fecit alienum aut sua virtute aut illis viris clarissimis, Paullis, Maximis, Africanis, quorum gloriam huius virtute renovatam non modo speramus, verum etiam iam videmus.« Hunc autem virum anno u. c. 698, cum Cicero in Vatinium testimonium diceret, aedilem curulem<sup>4)</sup> fuisse, vel paullo postea, et arcum quandam Romae restituisse Mommsenus conicit<sup>5)</sup>. Deinde anno u. c. 708 cum Q. Pedio legatus Caesaris exercitui in Hispania praefuit et in pugna ad Mundam commissa magna virtute floruit<sup>6)</sup>. Postea ab autumno eiusdem anni sub illius imperio contra Pompeium ipsum pugnavit<sup>7)</sup>. Caesar autem, cum illud bellum esset finitum (mens. Septembr. 709), Q. Fabio Maximo consulatum cum C. Trebonio pro meritis eius ab ineunte mens. Octobr.

---

<sup>1)</sup> fasti cos. Capitolini ad a. 709 == C. J. L. I. pag. 440.

<sup>2)</sup> Drumann. Geschichte R.'s I, pag. 539.

<sup>3)</sup> orat. in Vatinium XI, 28.

<sup>4)</sup> C. J. L. vol. I, n. 606: »Q. Fabius Q. f. Maxsumus aed. cur. rest.« et. n. 607: »Fab. Q. f. Maxsumus aed. cur.«

<sup>5)</sup> C. J. L. vol. I, pag. 178.

<sup>6)</sup> bell. Hispan. II: »Quibus rebus adductus, quos legatos ante exercitui praefecerat, Q. Pedium et Q. Maximum, de suo adventu facit certiores« etc.

<sup>7)</sup> bell. Hisp. c. XII.

detulit<sup>1)</sup>. Praeterea concessit, ut Q. Maximus paucis diebus, postquam ipse triumphaverat, triumphum ageret a. d. III. Idus Octobr.<sup>2)</sup>. Eum autem subito die extremo consulatus sui defunctum esse constat<sup>3)</sup>.

Quo viro tantis virtutibus praedito non erat indignus filius Paulus Fabius Maximus, qui cum Ovidio artissimo quodam amicitiae vinculo coniunctus erat et ad quem tres epistulas ex Ponto I, 2. III, 3. III, 8 scriptas esse iam supra demonstravimus. Ac primum quidem paucis nobis est disserendum, quonam tempore ille sit natus. Kochius enim l. l. pag. 4 ex Horatii illis verbis, quae in Carminum IV, 1 legimus:

»Tempestivius in domum  
Pauli, purpureis ales oloribus,  
Comissabere Maximi,  
Si torrere iecur quaeris idoneum.

Namque et nobilis et decens  
Et pro sollicitis non tacitus reis  
Et centum puer artium

Late signa feret militiae tuae« etc.

concludere non dubitat eum ca. annum a. Chr. 35 natum esse. Nam Horatium hoc carmen ca. annum 15 (739) composuisse ex verbis »circa lustra decem« satis apparere<sup>4)</sup>. Quod autem

<sup>1)</sup> Cur Nipperdey ad Tacit. Ann. I, 5 putaverit consulem anni a. Chr. 45 non esse eundem virum, de quo Cicero in oratione in Vatinius habita dicat, non intellegimus. Id enim probant Mommsenus in C. J. L. I. c., Haakhuis in Pauly. encyclop. vol. VI, sect. 2, Halmius in adnot. ad orat. in Vatin. cap. XI, 28, aliique viri doctissimi. — De consulatu Q. Fabii Maximi cf. Suet. Caes. 80: »Q. Maximo suffecto trisemestri consule theatrum introeunte« etc. Dio XLIII, 46. Cicero ad famil. VII, 30, 1. Plin. H. N. VII. 53.

<sup>2)</sup> Fasti triumphales in C. J. L. I pag. 461: »Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus cos. ex Hispania an. DCCIX. III. Idus Octob.« cf. Quintil. VI, 3, 61.

<sup>3)</sup> Fasti Capitolini (C. J. L. I pag. 440) ad a. 709. Cic. ad famil. I. l.: »In campo certe non fuisti, cum hora secunda comitis quaestoriis institutis sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita est, quo mortus nuntiato sella ablata est.« Plinius N. H. VII, 54: »Q. Fabius Maximus in consulatu suo pridie Calend. Januarii obiit.« Dio XLIII, 46, 2.

<sup>4)</sup> cf. Carol. Franki fast. Horat. pag. 207, ad annum 739.

Maximus »puer« et »decens« appelletur, et tirocinia eum posuisse in orationibus forensibus poeta dicat, eum tum viginti annos natum fuisse Kochius iudicat. Cui sententiae ut assentiamur, nullo modo potest fieri. Nam ut omittamus eum viginti quatuor annos natum vix potuisse iam consulatum adipisci, — quod anno u. c. 743 factum esse paullo infra videbimus — vel eo, quod pater eius anno u. c. 709 mortuus est aliisque rebus velut anno, quo legatus Caesaris fuit, illa sententia refutatur. Immo Maximum anno a. Chr. 15 quadragesimum fere annum egisse nobis est putandum<sup>1)</sup>. Quid enim cogit, ut eum multo prius, quam alios aequales magistratus illos adeptum esse censeamus, quod illo tempore aut nunquam aut rarissime factum est?

<sup>1)</sup> Quae res non fugit plerosque Horatii editores, qui inter se dissentiunt, utrum illo Carminum loco Paullus Fabius Maximus cos. anni u. c. 743 intellegendus sit, neque. Illam sententiam probant Nauckius et Obbarius, quorum hic censet optime potuisse ab Horatio Maximum diei puerum, cum saepius homines aetatem viginti annorum egressos pueros appellentur, velut apud Cicer. ad famil. X, 28 dici: »egregius puer Caesar« vel ibid. X, 7: »et adolescentem vel puerum potius Caesarem iudices temere fecisse« aliisque locis. Per iocum autem Horatium voce »puer« esse usum, ut significaret Paullum Maximum libenter puerum agere. Attamen vix possumus probare Obbarii sententiam, quod tum, cum Cicero epistulas illas scripsit (anno a. Chr. 43), Octavianus revera egit annum vicesimum itaque apte puer appellari potuit. Praeterea v. 8 iuvenis Maximus Horatio seni ita opponitur totoque carmine depingitur, ut qui studia admodum iuvenilia consecetur, ut his in verbis iocum inesse non videatur verisimile. Quae cum ita sint, magis nobis arridet id, quod Orellius aliique putant, consulem anni 743 non laudari ab Horatio. Sed illum filium Paulli Fabii Maximi consulis anni u. c. 743 fuisse probabile est eundemque virum, quem Fabianum Maximum — errore in Pauly. encycl. l. c. scriptum est »Fabius Maximus«, nam optimi codices illo loco, de quo statim disseremus, praebent »Fabianus« — de quo Seneca dicit in Controv. I, 12: »Fabianus Maximus nobilissimus vir fuit, qui primus foro Romano hunc vomicum morbum, quo nunc laborat, intulit, de quo Severus Cassius, antequam ab illo reus ageretur, dixerat: »Quasi disertus es, quasi formosus es, quasi dives es, unum tantum non es quasi, vappa«. Sane ea, quae Seneca de nobilitate, forma, divitiis, eloquentia, voluptatibus dixit cum Horatianis apprime concinunt; Cassium autem more suo inique de adversario iudicasse, Horatium benevole de studiis et splendida vita juvenis ingeniosi locutum esse facile concedemus. Fuisse igitur Paulo Fabio Maximo duos filios statim apparebit.



Fratrem Paulli Fabii Maximi Q. Fabium Maximum Africanum consulem anni a. Chr. 10 fuisse iam supra diximus (pag. 7). Filium autem habuit praeter Paullum Fabium Maximum Paullum Fabium Persicum, qui anno p. Chr. 34 consulatum cum L. Vitellio gessit<sup>1)</sup>. Hunc tamen apud aequales non fuisse magno in honore ex Senecae de benefic. IV, 30 videmus, ubi etiam impudici eius osculum devitasse dicuntur. Praeterea illo loco comperimus, eum sacerdotem non uno in collegio fuisse. Ex inscriptione quadam Ephesia<sup>2)</sup>:

»PAULLUS FABIUS PERSICUS  
SODALIS AUGUSTALIS, FRATER ARVALIS«

Waddington<sup>3)</sup> recte videtur conclusisse eum ca. annum 44 proconsulem Asiae factum esse. Quod pro certo ideo non potest dici, quod in ordine proconsulum magna lacuna inter annum 41 et 51 intercessit. Sub imperatoribus autem Tiberio, Caligula, Claudio, quocum amicitia erat coniunctus<sup>4)</sup>, saepius frater Arvalis commemoratur<sup>5)</sup>. Eum autem magistrum anno

<sup>1)</sup> cf. Tacit. Ann. VI, 28. Frontin. de aqu. urb. R. 102. Dio LVIII, 24. — Acta frat. Arv. pag. XXXV lin. 6 (ed. H.).

<sup>2)</sup> quam C. Curtius in Hermae vol. IV (1870), pag. 217 et Henzen in »Scavi nel bosco sacro dei fratelli Arvali« (1878) pag. 7 edidit. Legitur quoque in C. J. L. III, 2, 6073.

<sup>3)</sup> l. l. pag. 125.

<sup>4)</sup> ut satis demonstrat locus quidam in oratione Claudii de iure honorum Gallorum habita (ap. Nipperd. in edit. Annal. vol. II<sup>a</sup>, pag. 316): »Tot ecce insignes iuvenes, quot intueor, non magis sunt paenitendi senatores, quam paenitet Persicum, nobilissimum virum, amicum meum, inter imagines maiorum suorum Allobrogici nomen legere«.

<sup>5)</sup> Henzen Acta fr. Arv. pag. XXXII (a. p. Chr. 21).  
C. J. L. VI, 1, pag. 464 n. 2025<sup>a</sup> = Henzen pag. XXXV (a. 35).  
ibid. no 2025<sup>c</sup> = H. pag. XXXVII c. (a. 36).  
ibid. n. 2027 = H. pag. XXXIX (fort. ann. 37).  
ibid. n. 2028 a, b, c, d — h = H. pag. XLII et XLIII seqq. — pag. XLVII (a. 38).  
ibid. pag. 470 n. 2029 = H. pag. XLIX (a. 39).  
ibid. pag. 474 n. 2032 = H. pag. LIV seq (ex a. 43—48).  
ibid. pag. 476 n. 2035 = H. pag. LIX (ex a. 50—54).  
(Marini tav. IV, VI, VII, IX, XI).

p. Chr. 35 fuisse Henzenus<sup>1)</sup> recte videtur ex eo conicere, quod in actis eius anni primo locó refertur<sup>2)</sup>. Mortuus erat, cum Seneca scripsit.

Jam vero redeamus ad Paulli Fabii Maximi vitam describendam. Hunc virum ca. annum u. c. 727 in Hispania legatum Caesaris fuisse ex inscriptione Tarraconensi in C. J. L. vol. I, n. 2581 intellegimus:

CAESARI  
PAULLUS FABIUS  
MAXIMUS  
LEGATUS CAESARIS.

Nam hoc loco Caesar nondum Augustus dictus est. Deinde eum inter annum u. c. 739 et annum 743 proconsulem Cypri praetoria dignitate fuisse vidit Boeckhius. In C. enim J. Gr. vol. II, pag. 441 n. 2629 hunc legimus titulum: »Μαρκία Φιλίππου Συγατρί, ἀνεψιᾶ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, γυναίκα Παύλου Φαβίου Μαξίμου, Σεβαστῆς Πιάφου ἡ βουλή καὶ ὁ δῆμος«. Paphum autem cognomento Augusti ornatam esse anno u. c. 739 Cassius Dio tradit<sup>3)</sup>. Quae cum ita sint, Paullum Maximum probabile est inter hunc annum et illum, quo consul fieret, proconsulem Cypri fuisse, quam insulam inde ab anno u. c. 732. provinciam fuisse proconsularem praetoriam constat<sup>4)</sup>. Consulatum autem anno u. c. 743 eum adeptum esse cum Q. Aelio Tuberone multis demonstratur locis<sup>5)</sup>. Nonnullis

<sup>1)</sup> l. l. pag. 186.

<sup>2)</sup> l. l. pag. XXXVI.

<sup>3)</sup> lib. LIV, cap. 23.

<sup>4)</sup> cf. Strabon. libr. XVII, cap. 840 (25 ed. Mein) ext.

<sup>5)</sup> C. J. L. vol. I n. 799: »Paulo Fabio Q. Aelio [Thu. Melicus]« et n. 800 (Ritschellii Monum. tab. XII, u.): »Cos. Fab. Max. Aelio Tuberone«. Bull. Nap. n. s. IV, 106 = Willmanns l. l. vol. I n. 206 titulus sepulcralis: »Chremantine Numisiae ornatric obieit VI eidus Octob. Paulo Fabio Maximo Q. Aelio cos., ossua conlecta eisdem cos. Diaphyrus conservae«. Cassius Dio LIV, 33: »ἐπί τε Κύντου Αἰλίου καὶ Παύλου Φαβίου ὑπάτων«, saepissimeque hi consules commemorantur in Frontini libr. de aquis urbis Romae velut c. 99 et 100: »Q. Aelio Tuberone Paulo Fabio Maximocos« et aliis locis legimus: »Quod Q. Aelius Tubero Paulus Fabius Maximus cos. V. F. etc. (cap. 106, 108, 125, 127). C. J. Gr. n. 3971 in columna quadam Apolloniae scriptum est: καὶ τρίτον Παύλλω Φαβίω Μαξίμω καὶ Αἰλίω Τυβέρωνι ὑπάτοις.

post consulatum annis proconsul Asiae fuit, ut ex fragmento decreti cuiusdam in honorem huius viri ab Asianis facti cognoscimus<sup>1)</sup>. Videtur autem Paullus Fabius Maximus, cum hoc munere in Asia fungeretur, effecisse, ut urbes Asiae diem natalem Augusti rite concelebrarent<sup>2)</sup>.

Praeterea nummi quidam sunt servati, quorum in altero ex Hierapoli Phrygiae inscriptum est: »Φάβιος Μάξιμος« cum Fabii nudo capite<sup>3)</sup>, in altero ex Hadrumeto Bycaces urbe principe: »APR. FA. MAX. COS. PROCOS. VII VIR. EPULO«<sup>4)</sup>. Nomen autem eius invenimus in statua quoque, quae Paulo Maximo a populo Atheniensi Athenis in Erechtheo erat posita<sup>5)</sup>: 'Ο δῆμος Παῦλλον Φάβιον Μάξιμον ἀρετῆς ἔνεκεν τῆς εἰς ἑαυτόν. Ἀντίγνωτος ἐποίησεν.«

Vix autem quisquam tum cum Augusto imperatore artius erat coniunctus amicitia, quam Paullus Fabius Maximus. Qua in re omnes illius aetatis scriptores consentiunt velut Quintil. VI, 3, 52. Tacit. Ann. I, 5. Plutarch. de garrulit. XI<sup>6)</sup>, Plinius H. N. VII, 45. Quo factum est, ut Augustum, cum Planasiam proficisceretur, comes unus prosequeretur et sermoni inter illum et Agrippam Postumum habito interesset. Hanc autem intimam familiaritatem non solum benevolentia et favor, sed etiam affinitas effecit. Uxor enim Paulli Fabii Maximi, Marcia<sup>7)</sup>, per

<sup>1)</sup> C. J. Gr. vol. III, pag. 24 n. 3902b.

<sup>2)</sup> cf. Boeckhium ad h. l.

<sup>3)</sup> edid. Seguino: Selecta numismata antiqua, pag. 99.

<sup>4)</sup> In his nummis revera Fabii imaginem inesse demonstravit Waddington: Mélanges de numismatique 2<sup>e</sup> série pag. 139. De his nummis cf. praeterea Eckhel: Doctrina nummorum veterum, vol. V, pag. 208.

<sup>5)</sup> C. J. Gr. vol. I, pag. 1911. add. 370b.

<sup>6)</sup> Apud Plutarchum errore — aut scriptoris ipsius aut. ut Waddington l. l. pag. 99 putat librarii alicuius — pro Φάβιος Φούβιος scriptum est.

<sup>7)</sup> Est illa Marcia, quam iam supra in inscriptione illa Cypria commemoratam esse vidimus. Filia autem erat L. Marcii Philippi — filii consulis anni a. Chr. 56 — et Atiae minoris, sororis Atiae maioris. Atia autem maior secundis nuptiis a Philippi patre, cos. anni a. Chr. 65, qui item L. Marcus Philippus appellatus est, in matrimonium erat ducta, ut noverca mariti sororis suae et Augustus privignus L. Marcii Philippi patris esset. (cf. Annal. instit. arch. XX, pag. 250 = Borghesi l. l. V, pag. 139). Errat

matrem suam, Atiam minorem, cum Augusti familia propinquitate erat coniuncta. Quam ad rem spectat Ovidius in epistul. ex Ponto I, 2. v. 137 seqq.:

»Hanc probat et primo dilectam semper ab aevo  
Est inter comites Marcia censa suas,  
Inque suis habuit matertera Caesaris ante:  
Quarum iudicio si qua probata, proba est« et Fast. VI, 802.

Itaque facile intellegimus, cur Marcia Liviae, Augusti uxoris, intima fuerit. Quam familiariter autem Paullus Fabius Maximus Augusto usus sit, optime ex eo, quod de morte huius viri traditur, apparet. Cum enim Augustus ex itinere illo, quod ad visendum Agrippam Postumum nepotem Planasiam susceperat<sup>1)</sup>, et in quo. ut iam supra diximus, Fabius eum comes unus erat prosecutus. Romam reversus esset, Fabius Marciam uxorem certiore fecit de benignitate et benevolentia, quam Caesar erga nepotem praestiterat<sup>2)</sup>. Quod illa Liviae aperuit. Haec autem Augustum appellavit<sup>3)</sup>, qui, cum de Fabio suspicionem haberet, illi est iratus<sup>4)</sup>. Itaque cum Paullus Maximus paullo postea diem obiret supremum, eum sibi manum intulisse putabant (a. p. Chr. 14). Id autem tempore inter eum diem, qui fuit pridie Idus Maias et diem XIV Calendas Septembr. factum esse, ideo iure conicere possumus, quod illo die Paullus

---

autem Boeckhii cum in C. J. Gr. vol. II pag. 442 hos duos L. Marcios Philippos confundit et putat Philippum patrem Marciae, cum illam ex alio coniugio genuisset, uxorem duxisse matrem Octaviani, Atiam maiorem.

<sup>1)</sup> de huius itineris causa Plutarchus l. c. haec affert: Φούβιος δὲ ὁ Καίσαρος ἑταῖρος τοῦ Σεβαστοῦ, γέροντος ἤδη γεγονότος ἀκούσας ἰδουρομένου τὴν περὶ τὸν οἶκον ἐρημίαν, καὶ ὅτι τῶν μὲν δυοῖν θυγατρῶν αὐτοῦ ἀπολωλότων, Ποστουμίου δὲ, ὃς ἔτι λοιπός ἐστιν, ἐκ διαβολῆς τινος ἐν φυγῇ ὄντος, ἀναγκάζεται τὸν τῆς γυναικὸς υἱὸν ἐπεισάγειν τῇ διαδοχῇ τῆς ἡγεμονίας, καίπερ οἰκτεῖρων καὶ βουλευόμενος ἐκ τῆς ὑπερορίας ἀνακαλεῖσθαι τὸν θυγατρῶν.

<sup>2)</sup> Tacit. Ann. I, 5: »Multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis, spemque ex eo, fore, ut iuvenis penetralibus avi redderetur.«

<sup>3)</sup> Plutarch. l. l.

<sup>4)</sup> Tacit. l. l: gnarum id Caesari.

Fabius Maximus in actis fratrum Arvalium etiam commemoratur<sup>1)</sup>:

»Adfuerunt Imp. Caesar Augustus, Tiber. Caesar Augusti fil. Germanicus, Paullus Fabius Maximus<sup>2)</sup>, et a. d. XIV Calend. Septembr. Augustum mortuum esse inter omnes constat<sup>3)</sup>. Praeterea Tacitus tradit Marciam in funere illo sese ipsam illius mortis causam esse exclamasse et Plutarchus eam ante Fabium mortem sibi conscivisse narrat.

Quibus repugnare videntur verba Ovidii, quae in epistul. ex Ponto IV, 6 legimus:

»Certus eras pro me Fabiae lux, Maxime, gentis,  
Numen ad Augustum supplice voce loqui.  
Occidis ante preces. Causamque ego, Maxime, mortis —  
Nec fueram tanti — me reor esse tuae.«

Si autem hoc loco poeta sese »causam mortis« Fabii esse profitetur aut non satis certa de rebus illis Romae gestis fama instructum fuisse — quod minus verisimile est — aut, ut Merkelius censet<sup>4)</sup>, Fabium, cum Ovidio eadem opera, qua Postumo Agrippae consultum voluisset, cum uxore de affinis sui restitutione consilium iniisse eique culpam erroremque Ovidii exulis exposuisse, ut pro poeta a Livia auxilium et veniam peteret, nobis est putandum. Qua re cognita nescio an ira Caesaris aucta sit.

Ovidium autem cum Paulo Fabio Maximo affinitate fuisse coniunctum, ex carminibus eius satis apparet. Tertia enim illius uxor, de qua Trist. eleg. IV, 10 v. 73 seq. dicit:

»Ultima, quae mecum seros permansit in annos,  
Sustinuit coniunx exulis esse viri«

e gente Fabia orta erat, ut demonstrat epist. ex Ponto I, 2 v. 138:

»Ille ego de vestra cui data nupta domo est.«

<sup>1)</sup> C. J. L. VI, 1. pag. 460 n. 2023 lin. 16 seq. = Henzen, Acta pag. XXIX. (Marini: »Monumenti marmorei de Fratelli Arvali« pag. CI).

<sup>2)</sup> in eadem tabula iam lin. 8 huius viri nomen legitur: »Adfuerunt Lucius Domitius Cn. filius Ahenobarbus, Lucius Culpurnius L. fil. Piso, pontifex Paullus Fabius Q. f. Maximus.«

<sup>3)</sup> Suet. Aug. 100. Dio LVI. 20 cf. fast. Amit. et Antiat. in C. J. L. vol. I, pag. 324 et 328.

<sup>4)</sup> prolusio ad Ibin pag. 392.

et insequentes versus indicant eam Marcia familiarissime usam esse anteaque Atia minore<sup>1)</sup>. Quam ad amicitiam spectant illa quoque verba, quae Ovidius uxori ipsi scribit<sup>2)</sup>:

»Cuncta licet facias, nisi eris laudabilis uxor,  
Non poterit credi Marcia culta tibi.«<sup>3)</sup>

Nec mirum illum, qui tantum valeret apud Caesarem, quocum tam firmis vinculis coniungeretur, auxilium sibi laturum poetam sperasse. Nam quanta amicitia inter illos, cum Ovidius Romae esset, floruerit, epistulae ex Ponto satis aperte ostendunt. Vide exempli causa ep. I, 2 v. 129 seq. ed. K.:

»Ille ego sum, qui te colui, quem festa solebat  
Inter convivas mensa videre tuos.

Ille ego, qui duxi vestros Hymenaeon ad ignes  
Et cecini fausto carmina digna toro«

et scripta sua alter alteri legebat<sup>4)</sup>. Atque quanti poeta huius amici mores aestimaret, num dignius et amplius exponere potuit, quam versibus illis, quos in epistul. III, 3 legimus:

»Conueniens animo genus est tibi, nobile namque  
Pectus et Herculeae simplicitatis habes.  
Livor, iners vitium, mores non exit in altos,  
Utque latens ima vipera serpit humo.  
Mens tua sublimis supra genus eminent ipsum,  
Grandius ingenio nec tibi nomen inest?»

Quae cum ita sint, facillime potest intellegi, cur Ovidius ad hunc virum, quem propter culpam in Caesarum familiam commissam iratum sibi esse putavit<sup>5)</sup>, sibi reconciliandum et,

<sup>1)</sup> cf. Masson. v. O. ap. Burm. IV, p. 49 seq.

<sup>2)</sup> ex Ponto III, 1, v. 77 et 78.

<sup>3)</sup> Praeterea hanc Ovidii coniugem ad Macrum et Rufum necessitudine attinuisse ex ep. ex Ponto II, 10 et II. 11, 13—18 intellegi potest. Quibus locis apparet Ovidii uxoris matrem fuisse Rufi sororem, Rufum igitur eius avunculum. Ex nuptiis prioribus filiam habuit, quam postea Suillius Caesaris Germanici comes in matrimonium duxit (ex Pont. IV. 8, 9—12) cf. Masson l. c.

<sup>4)</sup> ex Ponto I, 2, 135 seq.

<sup>5)</sup> id indicare videntur exempli causa versus illi in ep. ex Ponto I. 2:

»Heu mihi! quid faciam? Vereor ne nomine lecto  
Durus et aversa cetera mente legas.«

ut auxilium ferret, impellendum nihil reliquerit intemptatum. Adhortatur autem eum, ne vox illa, quae trepidis reis auxilio esse soleat (ex Ponto I, 2 v. 116 ed. K), amicum deserat petiti- que v. 67 seq.:

»Suscipe Romanae facundia, Maxime. linguae  
Difficilis causae mite patrocinium.«

Ovidio est persuasum Fabium Maximum eum esse, qui Caesaris iram movere possit, illo deprecatore salutis suae optime consultum iri (ibid. v. 115 seqq.). Quare, quantum potest de arte amatoria se purgat in epist. III, 3 et demonstrare studet artibus illis nullum inesse crimen (III, 3 v. 51 seq. v. 69 seq.).

Quamquam autem tanta se poena dignum fuisse non negat<sup>1)</sup>, tamen Caesaris iram placabilem futuram neque eum Fabio veniam pro exule petenti iraturum esse certo sperat:

»Pone metus igitur, mitescet Caesaris ira  
Et veniet votis mollior hora tuis.«

Praeterea, ut Maximi animum commoveat, in epistulis ad hunc missis multo diligentius, quam aliis in carminibus describit mala, quae sibi in exilio ferenda, pericula, quae subeunda sint, locorum et hominum barbarorum asperitatem, neque quidquam aliud ab amico petit, nisi ut, quantum possit, efficiat, ut loco commodiore et propius ad patriam suam sito esse exuli liceat, velut ep. ex Pont. I, 2, v. 65 seq.:

»Nec tamen ulterius quidquam sperove precorve  
Quam male mutato posse carere loco.«

Itaque in his potissimum epistulis ad Paullum Fabium Maximum scriptis videmus poetam omnia exposuisse, quae culpam suam excusare et Caesaris animum movere possent. Nam dubitare non potuit, quin Maximus epistulas ipsi Augusto recitaturus esset.

Quae cum ita sint, mirari non possumus, quod iam ante annum a. Chr. 12 nonnulla Tristium carmina ad hunc virum missa esse videntur.

Ac primum quidem vix dubitamus, quin eleg. III, 6 (7 apud Loers.) Fabio Maximo inscribenda sit.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> III, 3 v. 76.

<sup>2)</sup> ut Kochius l. l. pag. 8 iam suspicatur. qui Politiani sententiam in

Nam ut praetereamus silentio totum hoc carmen non minorem amicitiam longo usu effectam (v. 19 seq.) spirare quam illas epistulas iam supra laudatas, dè quonam poeta v. 3 seq. aptius potuit dicere:

»Donec enim licuit, nec te mihi carior alter

Nec tibi me tota iunctior urbe fuit«

quam de Paulo Fabio Maximo et amico et affini? Huc accedit, quod poeta saepius ad familiaritatem, quae amicum cum Augusto coniungit, eiusque apud illam gratiam respicit. Dicit enim v. 7 seq.:

»Quique est in caris animi tibi candor amicis,

Cognitus est illi, quem colis ipse, viro.«

et v. 21 seq. eum adhortatur:

»Sis memor et, si quas fecit tibi gratia vires,

Illas pro nobis experiare, rogo«.

Neque minus bene ad Fabium quadrant ea, quae v. 13 de eius moribus dicit, sibi, si consilio amici usus esset, nunquam tanta mala ferenda esse. Nostro quoque in carmine se peccasse concedit, sed illo peccato praemia nulla a se esse petita (v. 33 seq.) confirmat eodemque modo, quo in aliis ad Maximum scriptis, culpam excusat et animum amici commovere studet, cum dicit:

»Idque ita, si nullum scelus est in pectore nostro,

Principiumque mei criminis error habet« (v. 25 seq.)

et paulo infra v. 35 seq.:

»Stultitiamque meum crimen debere vocari,

Nomina si facto reddere vera velis.«

Hoc autem in carmine iterum nihil impetrare vult nisi

»Numinis ut laesi fiat mansuetior ira

Mutatoque minor sit mea poena loco«,

schedis Florentinis expositam hoc carmen Celso propter versum 8 — Fabius Maximus enim Celsi patronus fuit —tribuendum esse refutat. Kochius ad sententiam suam firmandam hasce affert causas:

a) v. 24 convenit cum ep. ex P. I, 2, 66.

b) v. 19 Maximo aptus est (vid. ex. P. I, 3, 63 seq. et I, 6, 1) — scribendum erat I, 2, 63 et I, 51, quae tamen causa non multum valet.

c) v. 20: »Pars desiderii maxima paene mihi« leviter alludi videtur Maximi nomini.



id, quod Ovidium inprimis ab hoc petere amico iam supra vidimus.

Denique id, quod Kochius attulit, non omni veritatis specie carere videtur verbis: »Pars desiderii maxima paene mei«<sup>1)</sup> Maximi nomen significari.

Quae cum omnia optime ad Paullum Fabium Maximum quadrent, adducti sumus, ut hoc carmen huic amico inscribamus.

Neque minus apte alteram elegiam illi tribuendam esse nobis persuasum est, *Tristium eleg. V, 2*<sup>2)</sup>.

Quo in carmine Ovidius amicum quendam adhortatur, ut tandem aliquando Caesarem pro se roget. Facillime autem intellegi potest, Fabium Maximum propter illam ipsam Caesaris familiaritatem non potuisse tam aperte et instanter ab imperatore poetae irato veniam pro infelici amico petere. Fortasse statim initio Augusti iram frustra lenire conatus erat, num paullo postea sine ulla dubitatione iterum pro exule deprecari ei licuit? Itaque quamquam ei semper hoc fuisse in animo constat, tamen eum voluntati amici nunquam potuisse satisfacere usque ad mortem suam ex Ovidii ipsius verbis cognoscimus, qui de hoc viro in ep. ex Ponto IV, 6 v. 11 dicit: »Occidis ante preces.« Quid? his de causis nonne est verisimillimum poetam, cum hunc quoque amicum tam potentem anteaque tam fidum subtraxisse »effracto colla iugo« putaret, ei elegiam gravis vituperationis summaeque desperationis, maxime anxietatis et trepidae animi affectionis plenam misisse?

<sup>1)</sup> v. 20.

<sup>2)</sup> Loersius in proemio ad h. c. et Woelfelius l. l. pag. 1832 hoc carmen uxori tribuunt, quod nobis videtur esse minus verisimile. In omnibus enim elegiis ad illam missis (I, 6. III, 3. IV, 3. V, 11.) eam uxorem allocutus est et verba initio eleg. V, 2:

Ecquid ubi e Ponto nova venit epistola palles

Et tibi sollicita solvitur illa manu,

vel. v. 34: »Esset, quae debet, si tibi cura mei« aliaque optime tam caro amico scribere potuit. Kochius hanc quoque eleg. Maximo inscribit, quamquam causas, quas attulit non probamur. Nam ex similitudine sententiarum, quae sint personae, non potest concludi.

Et hic quoque Caesaris clementiam collaudat, utpote qui roganti non succenseat, sed ipsos in hostes mitem praebet animum:

»Ille deus, bene quo Romana potentia nixa est.

Saepe suo victor lenis in hoste fuit.

Quid dubitas et tuta times? accede rogaque:

Caesare nil ingens mitius orbis habet«

et enarrat v. 22 seqq. magna multaque mala, quibus in exilio prematur. Praeterea autem ad Maximum aptissime referuntur verba illa vers. 39:

»Me miserum! quid agam, si proxima quaeque relinquunt?«  
quippe quo nemo in urbe cum nostro iunctior fuerit.

Inscribemus igitur, quantum nobis videtur, non sine probabilitate hanc quoque elegiam Paulo Fabio Maximo.

At haec hactenus; exponamus nunc, quaeenam Tristium elegiae ad Atticum videantur esse missae.

### Atticus.

Attici ubi apud Ovidium mentio fiat, de Curtio Attico, quem Tacitus duobus locis commemorat, cogitandum esse inter omnes viros doctos constat<sup>1)</sup>. Quem familiaritatis vinculo cum Augusti domo maximeque cum Tiberio fuisse coniunctum ex eo intellegimus, quod unus ex arto comitatu fuit, quocum Tiberius Capreas profectus est. Eodem loco, quo haec tradit, Tacitus eum equitem Romanum ex illustribus appellat<sup>2)</sup>. Num autem e gente Pomponia ortus cum C. Pomponio Graecino eiusque fratre L. Pomponio Flacco affinitate coniunctus fuerit<sup>3)</sup>,

<sup>1)</sup> cf. Nipperdey ad Tacit. Ann. IV, 58. Pauly. encycl. s. v. Friedlaender: Recensio etc. pag. 3 = Sittengesch. I pag. 201. Koch. l. l. pag. 17.

<sup>2)</sup> Tacit. Ann. IV, 58: Profectio arto comitatu fuit: unus senator consulatu functus, Cocceius Nerva, cui legum peritia. eques Romanus praeter Seianum ex illustribus Curtius Atticus, ceteri liberalibus studiis praediti, ferme Graeci, quorum sermonibus levaretur.

<sup>3)</sup> ut censent Woelfelius in version. ep. ex P. pag. 2202 et Hertzbergius in version. Amor. pag. 1414.

nullo potest testimonio probari neque tamen videtur esse incredibile. Atticum a Seiano Julio Marino adiutore oppressum esse ad annum u. c. 785 (32 p. Chr.) Tacitus narrat<sup>2)</sup>.

Minime vero probamus, quod Kochius in dissertationis suae pag. 18 epistulas ex Ponto ad Atticum scriptas, — sunt autem II, 4 et II, 7 — certe epist. II, 4, viris doctis recte videri non genuinas esse putat. Carere enim eas proprietate et ἰδιότητι, quae certa quadam rerum personarumque descriptione contineatur, neque quidquam esse, quod claram Attici eiusque cum Ovidio amicitiae imaginem nobis ante oculos ponat. Ita autem illas epistulas tumere querelis et lamentationibus, ut ab eruditulo quodam grammatico ex locis Ovidianis, qui maestitiam spirent, compositae esse videantur. Quinam illi »viri docti« vel »nonnulli«, quos Kochius appellat, fuerint, ignoramus, at id prorsus certum est, recte neminem eorum, qui nostra aetate Ovidii carminibus dederunt operam, de epistulis illis nostro poetae tribuendis dubitasse. Neque enim eae causae, quas Kochius affert, obstant. Nonne epistul. II, 4 optimam imaginem illorum usus et familiaritatis praebet? Cur autem hae ipsae epistulae plenae querelarum et lamentationum sint, facile intellegemus, si horum carminum indolem paullo accuratius consideraverimus. Quod paullo infra exponemus.

Magnam autem caritatem et amicitiam Atticum et Ovidium, cum Romae esset, coniunxisse semperque illos et seria et iocos inter se communicasse, non solum epist. ex Ponto II, 4 v. 9—12 et v. 19 seqq. demonstrant, ubi poeta profitetur:

»Seria multa mihi tecum conlata recordor,  
Nec data iucundis tempora pauca iocis.  
Saepe citae longis visae sermonibus horae,  
Saepe fuit brevior, quam mea verba dies.

. . . . .  
Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis,  
Nos via, nos iunctis curva theatra locis« etc.

sed etiam Amorum eleg. I, 9, quae ad hunc virum scripta est, hoc satis aperte indicat. Praeterea ex ep. ex Ponto II, 4

<sup>2)</sup> Ann. VI, 10.

v. 13 seqq. apparet illum poeticae artis scientissimum et peritissimum fuisse et Ovidium saepe carmina sua, priusquam publicarentur, iudicio amici supposuisse.

Jam vero, si quaerimus, quatenam Tristium elegiae huic amico inscribendae esse videantur, primum haud inepte a Kochio l. l. pag. 17. eleg. V, 4 Attico tribui concedimus.

Ad hunc enim virum videntur spectare huius carminis v. 27 seq.:

»Nec patriam magis ille suam desiderat et quae  
Plurima cum patria sentit abesse sibi,  
Quam vultus oculosque tuos, o dulcior illo  
Melle, quod in ceris Attica ponit apis.«

Qui versus non solum tantum amorem et pietatem indicant, quantam illi in epistul. IV, 4, quos iam supra attulimus, sed etiam Ovidium voce »Attica« Attici nomen significare verisimillimum videtur esse, praesertim cum in carminibus ad alios amicos scriptis eodem modo luserit velut III, 4 et III, 5.

Minus autem duae aliae causae sunt probabiles, quas Kochius ad sententiam suam firmandam profert. Quod enim in nostri carminis v. 25 seq.:

»Teque Menoetiaden, te, qui comitatus Oresten,  
Te vocat Aegiden Euryalumque suum«

et in ep. ex Ponto II, 4 v. 21 seq.:

»Denique tantus amor nobis, carissime, semper  
Quantus in Aeacide Actorideque fuit«

legamus et Menoetiades et Actorides eundem i. e. Patroclum significant, eandem amici personam in utroque carmine indicari putat. Attamen, ut omittamus Ovidium saepius in aliis quoque epistulis talia exempla firmae amicitiae de veterum memoria petita commemorasse, illo epistularum ex Ponto loco codices inter se differunt de scriptura. Multi enim iique optimi ( $\beta$ , A, C, D,  $\psi$ )<sup>1)</sup> pro »Actorideque« praebent lectionem »Nestorideque«, quam editores recentiores receperunt quaeque multo est probabilior, quod, ut recte annotat Burmannus, hiatus Aeacide Actorideque insolens est Nasoni. Antiochum autem

<sup>1)</sup> in significandis codicibus Kornium secuti sumus.

Achillis familiarissimum fuisse ex Homeri carminibus<sup>1)</sup> cognosci licet.

Neque maioris momenti est tertium Kochii argumentum, quod Trist. V, 4 v. 35 seq.:

»Te sibi cum paucis meminit mansisse fidelem,

Si paucos aliquis tresve duosve vocat

haud dissimiles sint ep. ex Ponto II, 7 v. 81 seq.:

»Nec vos parva datis pauci solacia nobis,

Quorum spectata est per mala nostra fides»

eundem virum intellegendum esse. Hanc autem sententiam non solum in Tristium libris saepius legimus velut Trist. I, 3, 15 seq. et III, 5, 9 seq. sed etiam in epistul. ex Ponto II, 3, v. 29 seq. exempli causa idem de Cotta Messalino laudatur, ut ex illorum locorum similitudine nihil concludi posse appareat.

Sed nescio an nostrae elegiae sonus ultimique versus:

»Fac modo, constanter profugum tueare: quod ille,

Qui bene te novit, non rogat, ipsa rogo»,

melius nobis demonstrent hoc in carmine de Attico esse cogitandum.

Si enim epistulas ad hunc amicum ex Ponto scriptas diligenter consideramus, non possumus negare eas anxietatem et sollicitudinem spirare, ne illius cura languida sit. Iterum autem atque iterum Atticum adhortatur, ut semper infelicem sodalem servet et ei constantem fidem praebeat. Itaque initio epist. II, 4 ex amico quaerit:

»Ecquid adhuc remanes memor infelicis amici,

Deserit an partis languida cura suas?

Non ita Di mihi sunt tristes, ut credere possim,

Fasque putem iam te non meminisse mei»

et fine carminis illum alloquitur:

»Ne tamen haec dici possit fiducia mendax

Stultaque credulitas nostra fuisse, cave,

Constantique fide veterem tutare sodalem,

Qua licet et quantum non onerosus ero.»

Atque in altera elegia iterum interrogat, num sit etiam sodalis

<sup>1)</sup> Iliad. ψ, 612.

relegati cura amico. Quamquam autem sese derelictum esse ab illo non potest credere, tamen timore quodam et anxietate, ne id fiat, tenetur et hoc quoque in carmine (II, 7, 83 seq.) Atticum admonet:

»Coepta tene quaeso, neque in aequore desere navim,  
Meque simul serva iudiciumque tuum.«

Qua cum re optime convenit, quod hae ipsae epistolae querellarum et lamentationum multitudine alias superant, nam quomodo amici animum facilius sibi reconciliare potuit quam misericordia illius descriptione malorum concitata?

Cum autem in Tristium libris nonnulla inveniuntur carmina, quae illis epistulis colore et proprietate sint simillima, haud inepte illa quoque ad Atticum referri putamus, praesertim cum in plerisque alia praeterea indicia huius amici personam prodere videantur. Sunt elegiae Tristium, de quibus agitur, praeter V, 4. carm., IV, 7. V, 6. V, 13.

Quarum in prima poeta queritur, quod ab amico per totum biennium, ex quo in exilio sit, nihil acceperit litterarum:

»Tempore tam longo cur non tua dextera versus

Quamlibet in paucos officiosa fuit?

Cur tua cessavit pietas scribentibus illis

Exiguus nobis cum quibus usus erat?«

Quamquam autem non negat tam longo itinere epistolam posse amitti — nam omnia, quae rerum naturae repugnent, potius fieri sibi esse persuasum, quam ut amicus mutatus curam infelicis sodalis deponat — tamen eum admonet, ut frequenter scribendo suspicionem prioris amicitiae neglectae et in oblivionem adductae tollat.

Deinde sequitur eleg. Tristium 2, de qua iam supra diximus. Hic autem malorum multitudine exposita et amici misericordia, quam, cum poeta ex patria discederet, consolando et prope aequae dolendo praestiterit, laudata, elegiam ipsam sic instantem adhortantem inducit poeta:

»Fac modo, constanter profugum tueare: quod ille,

Qui bene te novit, non rogat, ipsa rogo.«

Maximam autem animi commotionem spirat eleg. V, 6, quae sono non dissimilis est carmini 2 eiusdem libri, quod ad

Paullum Fabium Maximum ab Ovidio videri missum esse iam supra exposuimus. Tamen ne de hoc cogitemus amico, eo videmur impediri, quod in nostro carmine omnia desunt, quae ad Caesarum familiam pertinent. Putat enim poeta amicum, qui antea fideli animo rerum suarum curam suscepisset, qui antea portus et confugium suum fuisset, in studio erga sodalem rebus adversis afflictum elanguisse. Maximam autem et gravissimam malorum turbam exulem se circumstare querens, petit ab illo, ut compescat intempestivos tumores atque persistat in fide erga infelicem amicum v. 45 seq.:

»Intempestivos igitur compesce tumores,

Vela neque in medio desere nostra mari.«

Jam transeamus ad *Trist. eleg. V, 13*. Iterum autem poeta amicum vituperat, quod tam raro ad se epistulas mittat:

»Quod tua me raro solatur epistula, peccas,

Remque piam praestas, et mihi verba negas.

Hoc, precor, emenda!« . . . . .

»Di faciant, ut sit temeraria nostra querella,

Teque putem falso non meminisse mei!«

Neque tamen unquam credere potest amicum immemorem esse infelicis sodalis. Itaque eum adhortatur, ut saepius scribendo Ovidii curam dissolvat et se eodem, quo antea, amore amicum complecti demonstret.

Quid? ista carmina nonne vinculo quodam inter se videntur esse conexa? Fortasse cogitandum est amicum, quamquam Ovidius eum, ut ad se scriberet, saepius adhortatus esset, tamen tum, cum ille *eleg. V, 6* componeret, nondum voluntati eius satisfecisse. Quod si probamus, facile intellegimus, cur hoc carmen doloris et irae tam sit plenum. Leniorem autem placidioremque poetae animum *eleg. V, 13* indicat, ex qua videmus eum accepisse epistulam ab amico neque quidquam aliud optare, nisi ut sodalis saepius ad se scribat.

Atque in his omnibus elegiis illum instanter et paene sollicitudine quadam affectus admonet, ut pium fidelemque etiam erga infelicem amicum se praebeat neve unquam in officio languescat.

Qua in re haec carmina tam bene consentiunt cum epistu-

lis ex Ponto ad Atticum scriptis, ut ipsa quoque ad illum amicum missa esse haud perverse videatur iudicari. Nam hunc anxietatis sonum maxime carminibus, quae in epistulis ex Ponto ad Atticum pertineant, proprium esse constat.

Adde, quod aliae quoque causae sententiam nostram firmare videntur. De voce »Attica« in eleg. V, 4 iam supra diximus. In eleg. V, 13 autem v. 27 seq.:

» . . . . . solebamus consumere longa loquendo

Tempora, sermonem deficiente die«,

simili modo, quo ep. ex Ponto II, 4, 9 seqq. illius communis studii et intimi usus noster facit mentionem, quod tam diserte ac diligenter expressum nusquam praeterea nisi in epistul. II, 10 ex Ponto ad Macrum missa invenimus. Legimus enim illic v. 37 seq.:

»Saepe dies sermone minor fuit inque loquendum

Tarda per aestivos defuit hora dies.«

Attamen vix potest dubitari, quin Ovidius, si ad Macrum misisset hanc elegiam, silentio non praeteriturus fuisset propinquitatem, qua per uxorem suam cum hoc viro coniunctus erat (ex Ponto II, 10, 10). Neque enim is est, qui aliquid, quo amicorum curam incitare eosque ad iuvandum impellere possit, omittat.

Huc accedit, quod nostri carminis vers. 9 seq., quibus se ingentia pignora ab amico accepisse Ovidius profitetur, optime quadrant ad ea, quae epistul. ex Ponto II, 7 v. 35 seq. de Attico dicit:

»Non igitur vereor, quia te rear esse verendum,

Cuius amor nobis pignora multa dedit.«

Neque minus apte ad Atticum spectant ea, quae in eleg. IV, 7, v. 5 seqq. ampliusque in eleg. V, 6 de intimo usu, quem Ovidius cum hoc amico habuerit, dicuntur. Atque ne id quidem neglegendum esse censemus, quod in ep. ex Ponto II, 7 paene iisdem verbis amicum poeta adhortatur, quibus in eleg. V, 6. In illa enim et v. 83.:

»Coepa tene, quaeso, neque in aequore desere navim«  
ad Trist. V, 6 v. 46:

»Vela nec in medio desere nostra mari«



et versu insequenti:

»Meque simul serva iudiciumque tuum«  
ad illius elegiae v. 15 seq.:

»at nunc

Me pariter serva iudiciumque tuum«  
alludere videtur de industria, ut adhortationes illas faciat instantiores.

His causis adducti sumus, ut illas quatuor Tristium elegias Attico inscribamus. Qui autem factum sit, ut »intempestivi tumores« (Trist. V, 6, v. 45) Attici animum tenuerint, ex Ovidii carminibus non cognoscimus. Id tamen videtur constare, non commovisse hunc virum timores, ut Loersius isto loco codicem Florentinum secutus recepit, ne in odium Caesaris veniret, quod nullo loco, sicut saepe in aliis carminibus fit, clementia Augusti proponitur et laudatur, qui nemini propter fidem amico servatam irascatur.

At iam satis dictum est de Attico, transeamus ut erat propositum ad Brutum.

---

## Brutus.

M. Junium Brutum, Caesaris percussorem Ciceronisque amicum neque a Claudia, Appi Claudi cos. anni a. Chr. 54, neque a Porcia, Catonis Uticensis filia, uxoribus suis, filium accepisse inter viros doctos videtur constare<sup>1)</sup>. Itaque, cum esset apud Philippos mortuus, haec gentis Juniae pars evanuit neque postea ulli nisi Junii Silani, qui maxima apud Caesares auctoritate floruerunt, a veteribus scriptoribus et in inscriptionibus commemorantur. Jure igitur miramur, quod inter Ovidii amicos Augusti aetate Brutum quendam invenimus et quod de hoc viro alii scriptores prorsus tacent, quamquam eum intima familiaritate cum Augusti domo coniunctum fuisse multumque apud illam valuisse, manifestum est. Id enim satis apparet, ex sono et modo, quo Ovidius in epistulis ad hunc

---

<sup>1)</sup> cf. Drumann. l. l. vol. IV, pag. 44. Adnot. 63.

amicum scriptis — sunt autem epist. ex Ponto I, 1. III, 9. IV, 6. — de imperatore et de gente Julia dicit<sup>1)</sup>. Praeterea eum inter oratores, qui tum eloquentia floruerunt, excelluisse satis demonstrant epistul. ex Ponto IV, 6, v. 29 seqq. Quae omnia si consideramus, fortasse Wœelfelii<sup>2)</sup> sententia non est repudianda, qui Bruti nomine M. Junium Silanum significari censet. Fuit autem is, qui a Tacito in Annal. lib. III, cap. 24 et 52 et libr. VI, cap. 2 atque a Dione in libr. LIX, cap. 9 commemoratur, C. F.<sup>3)</sup> et anno u. c. 768 consul suffectus<sup>4)</sup> Patris huius viri nomen in actis fratrum Arvalium anni p. Chr. 38<sup>5)</sup> traditum est, ubi a. d. IX. Calend. Jun. legimus: »et in locum M. Silani C. f(ili) C. Calpurnium Pisonem fratres Arvales cooptavit.« Ex Taciti Ann. III, 57 comperimus eum anno p. Chr. 22 in senatu censuisse »ut publicis privatisque monumentis ad memoriam temporum non consulum nomina praescriberentur, sed eorum, qui tribuniciam potestatem gererent.«

Anno autem p. Chr. 33 C. Caesar Germanicus M. Silani filiam Juniam Claudillam in matrimonium duxit<sup>6)</sup>, sed eundem duobus annis postea socerum suum, ut manus sibi inferret,

1) Inprimis cf. ep. I, 1, v. 45 seqq.:

»En, ego pro sistro Phrygiique foraminis buxi  
Gentis Iulæe nomina sancta fero.  
Vaticinor moneoque, locam date sacra ferenti!  
Non mihi, sed magno poscitur ille deo.«

2) in vers. epist. ex Ponto pag. 2187.

3) ut exposuit Mommsenus in epistula quadam ad Henzenum scripta (Henzen: »Scavi nel bosco etc.« pag. 11) et in Ephem. epigraph. vol. I, pag. 60 seq. Cui assentitur Nipperdey quoque ad Tacit. A. III, 24 et II, 59. Erraverunt autem hac in re Borghesi: Oeuvres vol. V, pag. 216 (= Ann. instit. arch. vol. XXI, pag. 57), Pauly, encycl. s. v. Teuffel. R. L. G.<sup>3</sup> 276, 8. Draeger. ad Tacit. Agric. c. 4, qui illis locis M. Junium M. f. Silanum intellegendum esse putaverunt.

4) C. J. L. vol. I pag. 199 n. 762 (= Ritschl. l. l. tab. III s): »Chrysanthus Saufei Sp. id. aug. Drus. C. M. Sil. Cos.« et n. 763: »Fortunatus Crustidi Sp. K. Dec. Drus. C. M. Sil. Cos.« Fasti Antiq. in C. J. L. vol. I, pag. 475 n. XIV: »Drusus Caesar C. Norbanus Flaccus Suff. M. Silanus.«

5) Henzen: Acta pag. XLIV = C. J. L. VI, 1 pag. 469 n. 2028 lin. 35.

6) Tacit. Ann. VI, 20.

coegisse constat <sup>1)</sup>. Fuit autem, ut Mommsenus <sup>2)</sup> conicit, frater minor natus illius Silani, qui anno p. Chr. 10 consulatum accepit <sup>3)</sup>. Jam vero videamus, quaenam sint causae, cur Ovidii Brutum eundem esse virum atque M. Junium C. f. Silanum censeamus. Ac primum quidem optime cum versibus illis ex epistula ex Ponto IV, 6 iam supra allatis convenit, quod Tacitus in Annal. III, 24 huius viri insignem nobilitatem et eloquentiam laudat. Praeterea autem intimam eius amicitiam et usum, quem cum Augusti familia maximeque cum Tiberio habuit, Cassius Dio in libr. LIX cap. 8 his verbis describit: Ὁ μὲν γὰρ Τιβήριος οὕτως αὐτὸν ἐτίμησεν, ὥστε μηδὲ ἐκκλητὸν ποτε ἀπ' αὐτοῦ δικάσαι ἐδέληται, ἀλλ' ἐκείνῳ πάντα αὖτις τὰ τοιαῦτα ἐγγχειρίσαι. Quae familiaritas eo quoque indicari videtur, quod Ovidius in iis epistulis, quas Augusto etiam vivo scripsit ad Brutum, nusquam amicum, ut se adiuvet et pro se ab imperatore petat veniam, adhortatur. In epistula autem IV, 6 paullo post Augusti mortem scripta non solum intimam describit amicitiam, quae se cum Bruto coniunxerit, v. 23 seqq.:

»Nam cum praestiteris verum mihi semper amorem,  
Hic tamen adverso tempore crevit amor:  
Quique tuas pariter lacrimas nostrasque videret,  
Passuros poenam crederet esse duos«

sed etiam illum admonet, ut pro se imperatori novo supplicet. Legimus enim v. 19 seqq.:

---

<sup>1)</sup> Dio LIX. 8. Sueton. Caligul. 23. Tacit. Agric. 4.

<sup>2)</sup> apud Henzen.: Scavi l. l.

<sup>3)</sup> Alter M. Junius Silanus M. f. anno p. Chr. 19 consul ordinarius fuit cum L. Norbano Balbo (cf. Tacit. Ann. II, 59. Borghesi l. l. V. pag. 216: »Ex. S. C. M. Silano M. f. L. Norbano Balbo cos.« J. R. N. 2898. Henzen. 6432. 7419 dy. bulletino dell' instit. 1856 pag. 60). Anno p. Chr. 33—38 proconsul Africae fuit (Borghesi l. l. pag. 217: »Praefectus fabrum M. Silani M. F. Sexto Carthagini« et pag. 208). Ad eundem M. Silanum pertinet Tacit. Histor. IV, 48, ubi traditur: »Mox C. Caesar turbidus animi ac M. Silanum obtinentem Africam metuens ablatam proconsuli legionem misso in eam rem legato tradidit.« Paulo postea mortuus est.

»Quae prosit pietas utinam mihi, sitque malorum  
Jam modus et sacrae mitior ira domus.  
Te quoque iam liquido possum iuvare precari,  
O mihi non dubia cognite Brute nota.«

Qua ex re nullo modo, ut Kochius l. l. pag. 2 fecit, Brutum fuisse Caesaris metuentissimum concludere possumus. Immo vero Ovidius ipse sibi propter intimam illius cum Augusto familiaritatem omnia omittenda esse, quaecunque amicum in suspicionem et invidiam imperatoris adducere possent, intellexit. Quod multo fit verisimilius, si Brutum eundem esse quem M. Junium Silanum probamus. Huius enim frater D. Junius Silanus propter adulterium cum Julia Augusti nepte commissum, unde nostro quoque poetae orta esse videtur causa exilii<sup>1)</sup>, relegatus est<sup>2)</sup>. Quae si ita erant, num potuit ab hoc amico noster petere auxilium Augusto vivo et exilium suum eiusque causam commemorare?

Cur autem vir ille Bruti nomen, quod eum habuisse nusquam traditur, acceperit, facile intellegimus. Nam ut omittamus eum ex eadem gente, ex qua M. Junium Brutum illum duxisse originem, inter Ovidii amicos, qui quidem artius cum Caesarum familia coniuncti erant, nullus dignior erat, qui propter artium et litterarum scientiam a suis nomen illius viri doctissimi et summa eruditione praediti acciperet, quam hic vir. Ex Ovidii enim ipsius carminibus optime apparet, quanti poeta noster huius amici scientiam et ingenium aestimaverit, cum in omnibus epistulis ex Ponto ad Brutum missis multo diligentius studia sua poetica attingat quam in aliis.

Neque id nobis videtur esse neglegendum, quod in tribus prioribus epistularum libris, quos artius inter se cohaerere constat et primum et ultimum carmen ad hunc misit amicum. In illo autem (I, 1) a Bruto petit, ut benevole recipiat exulis epistulas et exponit, quid novum hoc carminum genus sibi velit. Atque amplius in ep. III, 9 de poeticis studiis agitur.

---

<sup>1)</sup> cf. Masson l. l. ad a. u. c. DCCLXII. E. Appel: Quibus de causis Ovidius ab Augusto relegatus sit. Diss. pag. 27 ff.

<sup>2)</sup> Ephem. epigr. l. l. pag. 61.

Hic enim Ovidius se excusat de vituperatione, quam propter carmina sua subierat, quamque ipse initio huius epistolae ita exponit:

»Quod sit in his eadem sententia, Brute, libellis,  
Carmina nescio quem carpere nostra refers.  
Nil nisi me terra fruar ut propiore rogare  
Et quam sim denso cinctus ab hoste loqui.«

Profitetur autem id non solum vitium carminum suorum esse et sese ipsum eorum delicta videre. (v. 6 seq.). Tum se purgat de versibus suis parum expolitatis et elaboratis. Saepe enim se velle aliquod mutare verbum sed viribus destitui iudicium, ut pigeat corrigere et longi laboris onus ferre (v. 18—20). Fine autem carminis, quid de vituperatione illa sentiat, demonstrato petit a Bruto veniam, quod talia carmina componat:

»Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis  
Causa, sed utilitas officiumque fuit.«

Atque ex tertiae epistolae ad Brutum scriptae (IV, 6) v. 17 seq.:

»Quale tamen potui, de caelite, Brute recenti  
Vestra procul positus carmen in ora dedi«

cognoscimus Ovidium ad hunc amicum carmen, quo Augustum e vita egressum laudibus celebraret, misisse.

Quae cum ita sint non possumus dubitare, quin Ovidius Bruti sententiam atque iudicium plurimi aestimaverit eumque doctissimum et tanquam principem inter doctos illos, quos saepius appellat<sup>1)</sup>, habuerit. Quid? nonne ei erat inprimis id agendum, ut huius amici aequum et benevolum iudicium sibi pararet?

Si vero quaerimus, quaenam Tristium elegiae probabiliter Bruto inscribendae sint, primum de eleg. III, 14 vel potius 15, nam rectissime iudicavit Loersius huius libri elegiam quartam falso pro duobus unum carmen in multis codicibus scriptum esse, vix possumus dubitare. Quemnam enim inter amicos suos aptius vers. 1 seq. alloquatur noster:

<sup>1)</sup> velut ep. ex Ponto III, 9 v. 45.

»Cultor et antistes doctorum sancte virorum,  
Qui facis ingenio semper, amice, meo«

vel. vers. 7: »vatum studiose novorum?« Praeterea optime quadrat ad ea, quae iam supra de Bruto diximus, et argumentum et color nostri carminis. Commendat enim amico progeniem suam, cui parente orbae in patria esse liceat. Quamquam autem ipse concedit Metamorphoseon opus imperfectum esse, tamen nisi tantis rebus adversis afflictus esset, illud expletum summaque laude dignum se facturum fuisse confirmat. Tum transit ad tertium Tristium librum, quem una cum nostra elegia Romam misit, rogatque amicum:

»Hoc quoque nescio quid nostris appone libellis,  
Diverso missum, quod tibi ab orbe venit.«

Legenti autem ista carmina cogitandum esse, quo tempore et quo loco sint composita. Quibus rebus non excusari solum eorum vitia, sed quemque etiam mirari debere, quod tali in condicione carmina pangere possit. Nam ingenium suum esse malorum multitudine fractum et imminutum iamque se latine loqui dedidicisse. Itaque huius quoque carminis fine petit ab amico:

»Qualemcunque legas, venia dignare libellos  
Sortis et excusa condicione meae.«

Videmus igitur non solum initium sed etiam finem eleg. III, 14 Bruti personam indicare. Cur autem Ovidius hunc ipsum amicum carminum suorum tutorem esse voluerit et cur ad hunc novum studii sui pignus ex Ponto miserit, unusquisque ex iis, quae supra de hoc viro attulimus, facillime intellegit.

Nescimus an eidem poetarum cultori eleg. Tristium I, 7 sit inscribenda. Quo in carmine noster de Metamorphoseon tantum libris dicit rogatque, ut opus illud, quod maius monumentum veriorque imago, quam anulus, in quo exulis vultus videatur insculptus, sit, Romae ab amicis benevole recipiatur:

»His saltem vestra detur in Urbe locus«.

Atque diligentius, quam in eleg. III, 14 exponit fuisse illos

libros etiam crescentes set rudes, nec propter auctoris exilium ultimam manum ad eos potuisse accedere:

»Non tamen«, inquit, »illa legi poterunt patienter ab ullo,

Nesciet his summam si quis abesse manum« (v. 27 seq.)  
vel paullo infra v. 30:

»Defuit et scriptis ultima lima meis«.

Itaque »veniam pro laude petit« (v. 30), quam ut facilius impetret, illa carmina a se ipso non esse edita seque, si licuisset, emendaturum fuisse eorum vitia profitetur.

Ex quibus cognoscimus consilio et ingenio hanc elegiam haud dissimilem esse illi, quam supra Bruto attribuimus. Itaque non videtur esse ineptum hoc quoque carmen eidem Ovidii amico inscribi. Quod ne faciamus, non eo impedimur quod in illa elegia (III, 14) iterum *Metamorphoseon* opus commemoratur et commendatur. Illic enim de tota carminum suorum turba Ovidius dicit et paucis versibus *Metamorphoses* attingit. Nostrum autem carmen tanquam praefationem eodem tempore scriptam quo illud opus ab Ovidii amicis publicatum sit, esse censemus, quamque, nisi ad unum quemque lectorem eam referri malumus<sup>1)</sup>, certe Bruto non prorsus inepte inscribemus.

## Carus.

De hoc viro<sup>2)</sup> nusquam alibi apud veteres scriptores quidquam traditum esse constat, nisi in Ovidii carminibus, ubi epistula ex Ponto IV, 13 ad Carum missa est et in eiusdem libri carmine 16 inter poetas aequales a poeta nostro hic quoque amicus laudatur. Ex primis illius epistolae versibus cognoscimus eum Ovidio amicum vere carum se praebuisse et in numero sodalium non dubiorum fuisse. Eundem autem car-

<sup>1)</sup> Huic tamen sententiae repugnare videtur initium elegiae, quod ad certum quendam amicum verisimile est. Nostrae autem non obstat, quod v. 32 poeta allocutione: »lector« est usus, nam videmus exempli causa Ovidium simili modo in epistulis ad amicos scriptis Augustum esse allocutum.

<sup>2)</sup> Teuffel. R. L. G.<sup>3</sup> 252, 7. pag. 538.

men epicum de Hercule composuisse non solum eiusdem epistulae versus 11 seq. demonstrat, ubi legimus:

»Prodent auctorem vires, quas Hercule dignas

Novimus atque illi, quem canis esse pares«

sed etiam ad idem opus versus 7 seq. epistul. 16 spectant:

»Et qui Junonem laesisset in Hercule, Carus,

Junonis si non iam gener ille foret.«

Depingit igitur Ovidius illo loco naturam et colorem Cari carminum, cum dicit ea quamlibet in multis libellis posita cognosci propter vires et gravitatem, quae iis sit propria. Praeterea autem multum videtur valuisse apud Caesares. Ex versu enim 47 seq.:

»Sic valeant pueri, votum commune deorum,

Quos laus formandos est tibi magna datos«

comperimus eundem Carum educatorem praeceptoremque Germanici filiorum fuisse. Quae cum ita sint, facillime intellegere possumus, cur poeta in illa ipsa epistula (IV, 13) Caesarum familiam tantis extollat laudibus et studiose carmina, quae in Augusti honorem fecerit, commemoret.

Hunc autem ad amicum nonnullae videntur spectare Tristium elegiae.

Jam Burmannus et ante eum Micyllus vocativo »care« in Trist. lib. III eleg. 5 (6 ed. Loers) v. 17:

»Sum quoque, care, tuis defensus viribus absens

— Scis Carum veri nominis esse loco, —«

adducti sunt, ut hoc carmen eidem viro, ad quem epist. IV, 13 scripta est, inscriberent. Quam sententiam non probat Loersius, qui in adnot. ad h. l. dicit, certum esse »Carum non, ut Burmannus opinetur, verum fuisse eius nomen neque eundem esse Carum intellegendum, ad quem sit ex Ponto IV, 13, alioquin ineptum esse totum istum versiculum et sane etiam verba: »Carum veri nominis esse loco.« Attamen diligenter hoc loco expenso facere non possumus, quin Burmanni sententiae assentiamur et elegiam nostram ad Carum illum pertinere censeamus.

Cum enim inter omnes constet Ovidium in carminibus suis, ubi amicos alloquitur, nulla alia forma nisi vel »amice« vel



»carissime« usum esse<sup>1)</sup> — nam talia exempla velut ex Ponto IV, 8, 89: »care Suilli« non sunt curanda, quia nomen est appositum — illum voce »care« amicum quendam significare certe nobis putandum est. Impedimur autem ne insequenti quidem versu: »Scis carum« etc., quominus illum amicum Carum vere appellatum esse arbitremur.

Cum enim Ovidio hoc exilii tempore nondum liceret nomina amicorum suorum aperte carminibus inserere neque ulli, quin voce »care« Carus significaretur, dubium esse posset, ambiguum apposuit sententiam. Nam si de adiectivo »caro« cogitamus, hoc vocabulum aut eandem formam, quam amici nomen habere aut nihil nisi allocutionem quandam familiarem eo loco, ubi poetae verum amici nomen ponendum erat, positam esse intellegi potest. Nostram autem elegiam si cum ep. ex Ponto IV, 13 comparamus, non est, cur eam ad eundem Carum spectare negemus. Immo optime quadrat ad hunc amicum vere carum, quod tantae misericordiae, tanti amoris fideique plenum erga Ovidium calamitate afflictum se praebuit, ut satis vers. 7 seqq. huius carminis demonstrant. Quin etiam de poeta relegato bene meretur hic vir eumque defendit et multa signa manifesti favoris ei tribuit (v. 17 seqq.). Praeterea autem nostra sententia eo probatur et affirmatur, quod, ut iam Heinsius vidit, versu 42 nostrae elegiae:

»Junonis gener est, qui prius hostis erat«  
ad apotheosin illam Herculis<sup>2)</sup> de qua supra diximus, videtur alludi.

Miramur, cur non 4 quoque elegiam eiusdem libri Tristium (III, 4) Caro inscripserit<sup>3)</sup>. In primo enim huius carminis versu:

»O mihi care quidem semper, sed tempore duro  
Cognite, res postquam procubuere meae«

voce »carè« poeta eodem modo, quo in illa elegia, videtur uti.

<sup>1)</sup> exempli causa afferam Trist. I, 5, 3. I, 9, 41. III, 6, 1. IV, 7, 19. ex Ponto II, 4, 21. IV, 10, 3.

<sup>2)</sup> cf. pag. 45.

<sup>3)</sup> Scilicet usque ad versum 46. Nam Loersius in editionis suae pag. 276 seq. rectissime demonstravit a versu 47 novam incipi elegiam, in qua non, ut in illa, ad unum tantum, sed ad multos vel omnes amicos conversa est oratio.

Praeterea et sonus et sententia totius elegiae hunc amicum optime indicant. Admonet enim Ovidius eum, ut se intra fortunae mediocritatem contineat et potentium usum et familiaritatem, quantum possit, vitet:

»Usibus edocto si quicquam credis amico,  
Vive tibi et longe nomina magna fuge.  
Vive tibi, quantumque potes, praelustria vita.  
Saevum praelustri fulmen ab arce venit.«

Cum autem Carus paulo antea<sup>1)</sup> illud educatoris munus iniisse verisimillimum sit, quo functus artum cum Caesarum familia habuit usum, facillime intellegere possumus poetam amico minori natu talem misisse adhortationem, ut eum ab iis, quae ipsum de fortunae culmine deiecerant, servaret et retineret. Atque hoc quoque in carmine dolorem amici maximum, cum abiret in exilium, describit v. 37 seqq. et laudat eius curam, quam etiam tunc praestet:

»Nunc quoque summotum studio defendis amicum  
Et mala vix ulla parte levanda levas« (v. 41 seq.).

Quae cum ita sint, hanc elegiam Caro non minus apte inscribemus, quam Tristium eleg. I, 9.

Hoc enim in carmine poeta noster amico cuidam minori natu<sup>2)</sup> de eius »processu« gratulatur. Sibi iam antea fuisse persuasum amici ingenium non posse delitescere, sed apud aequales magno futurum esse in honore. Illum autem processum sodalem effecisse artibus ingenuis et severis diligenter excultis, quippe qui morum integritate et ingenii eloquentiaequae laude floreat.

»Sive aliquod«, inquit, »morum seu vitae labe carentis  
Est pretium, nemo pluris emendus erat.  
Sive per ingenuas aliquis caput extulit artes . . . .  
Quaelibet eloquio fit bona causa tuo.«

Fine autem huius elegiae Ovidius de culpa sua dicit et confirmat mores suos ab Artibus illis, quae sibi exilii causa essent, abstinuisse. Praeterea illud opus iam multis annis antea

---

<sup>1)</sup> cf. Trist. eleg. I, 9, de qua paulo infra dicemus.

<sup>2)</sup> nam id ex toto carmine apparet.

fuisse compositum. Itaque crimina sua posse excusari. Tum amicum admonet, ne exulis causam deserat optatque ut longius fortunae via progrediatur.

Quibus expositis, cur hoc carmen Caro tribuendum esse videatur, demonstramus.

Merkelius<sup>1)</sup> dicit, si quis ad Carum hanc elegiam scriptam esse putet, non de munere, quod ep. ex Ponto IV, 13 ad eum delatum esse dicatur, de educatione Drusi et Caligulae, cogitari posse; utrumque enim huius carminis anno nondum natum fuisse. Quamquam autem huic viro doctissimo non solum concedimus vers. 2 nostrae elegiae:

»Qui legis hoc nobis non inimicus opus«

nominis Cari designationem commode inveniri non posse, sed etiam poetam fine anni p. Chr. 9 vel initio anni 10, quo tempore primus Tristium liber compositus est<sup>2)</sup>, de Caligulae et Drusi educatione dicere negandum esse, tamen haec omnia ad Carum illudque educationis munus optime quadrare nobis persuasum est, si de primo Germanici et Agrippinae filio, Nerone Caesare cogitamus. Cum enim hunc anno p. Chr. 6 vel 7 natum esse constet — nam anno 20 eum iam iuventam ingressum esse Tacitus in Ann. III, 29 tradit<sup>3)</sup> — eum circa quatuor annos natum Caro educandum traditum esse non videtur incredibile. Nonnullis autem annis postea Drusum et Caligulam eiusdem viri curae demandatos esse facile intellegi potest. Praeterea eo nostram sententiam comprobari censemus, quod Ovidius optimos et praestantissimos amici mores, qui eum ad puerum formandum fecerint aptissimum, tantis extollit laudibus.

At haec quidem hactenus. Restat, ut de duabus Tristium elegiis V, 7 et V, 12, quid sentiamus, exponamus. Cuiusmodi Ovidii amicorum ista carmina inscribenda sint, plane in medio

<sup>1)</sup> in edition. Trist. pag. 68.

<sup>2)</sup> cf. Edmund Meyer: »Die Chronologie der Ovidischen Tristien und Briefe aus Pontus mit Beziehung auf das Jahr der Schlacht im Teutoburger Walde« in »Zeitschrift für das Gymnasialwesen« 1878 pag. 451. .

<sup>3)</sup> cf. Nipperdey. ad h. l.

relinquimus. Sunt enim iis locis, ubi poeta de condicione sua et de studiis suis dicit, inter se haud dissimilia atque in eadem re cum epistul. ex Ponto I, 5 ad Cottam Messalinum scripta conveniunt. Haec tamen res minime nos potest commovere, ut de eodem viro in illis carminibus cogitemus, cum ipse Ovidius epist. ex Ponto III, 9 v. 39 seqq. profiteatur:

»Cum totiens eadem dicam, vix audior ulli:  
Verbaque profectu dissimulata carent.  
Et tamen haec eadem cum sint, non scribimus isdem  
Unaque per plures vox mea temptatopem.  
An, ne bis sensum lector reperiret eundem,  
Unus amicorum, Brute, rogandus erat?«

Ac ne Kochio quidem assentimur, qui l. l. pag. 10 Rufino Trist. eleg. V, 12 inscribendam videri censet. Certe enim diligentiam, qua Ovidius in hac elegia carminum suorum negligentiam excusare studeat, non dissimilem esse epistularum ex Ponto I, 3 (falso illic legemus I, 4) et III, 4 indoli et ingenio. Invenimus tamen hoc in epistulis ad Rufinum multo minus, quam in illis ad Brutum missis, de quibus iam supra diximus. Haec autem, quae noster in elegiis V, 7 et V, 12 dicit, sane ad omnes amicos scribere potuit, quantum quidem nos videmus. In altero enim carmine (V, 7) respondet amico cuidam, qui ei Ovidii carmina Romae plausu et laudibus elata esse nuntiaverat exponitque qui fiat, ut, quamquam non sit gloriae cupidus, tamen loco tam aspero et inter homines tam feros et incultos etiam carmina componat. In altera autem elegia (V, 12) amicum alloquitur, qui eum, ut lacrimabile tempus exilii studio oblectaret, in epistulis suis admonuerat. Profitetur autem »ingenium suum longa rubigine laesum torpere« et valde esse deminutum. Itaque carmina quoque illo loco et tempore exilii composita parvi esse aestimanda. Quamquam vero nemo illic sit, cui scripta sua legere possit, atque linguam vernaculam didicisse sibi videatur, tamen se non posse retineri, quin etiam in exilio carmina componat.

Videmus igitur sane inesse in his carminibus significatio-  
nes, quas tum Ovidii amici Romae intellegere potuerunt, quibus

tamen, ad quem spectent, nos in dubio reliquimur, quod epistulae illae ab amicis ad poetam nostrum scriptae non sunt posteris proditae.

---

Jam ad finem perduximus commentationem. Hac autem in re, quae omnino aliqua probabilitate conici possunt, nos demonstrasse confidimus. Quod vero inter Tristium personas viros tantum invenimus, qui arte cum Caesarum familia coniuncti erant, non miramur, nam eorum maxime precibus Augusti animum emolliri posse ei erat sperandum.


---

## Vita.

Natus sum Balduinus Lorentz a. d. IV Calend. Novembr. anni h. s. LVI Isenbergae in urbe Saxo-Altenburgensi, patre Ernesto Carolo, matre Rosalia e gente Schmidt, quibus utrisque gaudeo vivis. Fidei addictus sum evangelicae. Cum sextum agerem annum pater, verbi divini interpres, vico Kriebitzsch prope Altenburgum sito praepositus est. Primis litterarum elementis instructus anno h. s. LXIX in gymnasium Altenburgense receptus sum, quod per octo annos frequentavi directoribus usus primum Henrico Eduardo Fossio (†) tum Ernesto Alberto Richtero, quibus aequae ac ceteris huius gymnasii praeceptoribus me plurimum debere libenter profiteor. Maturitatis testimonium adeptus vere anni h. s. LXXVII Jenam profectus sum, ut in studia philologica incumberem, ibique per tria semestria docentes audivi professores doctissimos Delbrück, Eucken, Rohde, A. Schmidt, M. Schmidt, Sievers. Mense Octobr. anni h. s. LXXVIII Lipsiam me contuli ut scholis interesssem virorum illustrissimorum Braune, Curtius, Eckstein, Götz, Heinze, Hildebrand, Lange, Lipsius, Ribbeck, Voigt, Zarncke. Qua in universitate unum per semestre proseminarium philologicum, quod J. Lipsius regit, frequentavi et ab auctumno anni h. s. LXXIX, cum unum semestre sodalis extraordinarius exercitationibus interfuissem, unum per annum sodalis ordinarius seminarii regii philologici a viris humanissimis G. Curtio, L. Langio, O. Ribbeckio temperati fui. Praeterea a L. Langio in societatem, in qua antiquitates Romanae tractantur, et ab O. Ribbeckio in societatem philologicam receptus sum, quarum in illa tria, in hac quatuor semestria usque ad hoc tempus magno cum fructu et gaudio esse mihi

licuit. Denique ab auctumno anni h. s. LXXVIII exercitatio-  
nibus seminarii Germanici, quas F. Zarneke et W. Braune, et  
seminarii paedagogici, quas Fr. Eckstein instituit, a vere anni  
h. s. LXXX usque ad hoc tempus interfui.

Quibus viris omnibus cum maximas agam gratias, tum  
L. Langii et O. Ribbeckii, praeceptorum dilectissimorum, no-  
mina semper grata et pia memoria prosequar.







JUL 12 1898

OCT 10 1898


JAN 21 1899

MAR 4 1910

Lo 10.713

De amicorum in Ovidii Tristibus per

Widener Library 005934919



3 2044 085 214 450

